ÆMILII GENTILIS

EPISCOPI ALLIFANI

DE BENEFICIIS, ET JUREPATRONATUS

TRACTATUS

Ad judiciorum praxim, et civilem quoque Politiam accommodatus.

PARS II.

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

NEAPOLI
Ex Officina VINCENTII MANFREDII
SUPERIORUM PERMISSU.

MDCCXCVI.

INDEX CAPITUM

PARTIS SECUNDAE.

CAP. I. *De definitione, & origine juriſpatronatus.*
II. *De modis, quibus juſpatronatus acquiritur.*
III. *De modis, quibus juſpatronatus amittitur.*
IV. *De quaſipoſſeſſione juriſpatronatus, deque modis eam acquirendi, probandi, aut amittendi.*
V. *De natura, ſeu qualitate juriſpatronatus.*
VI. *De diverſa ſpecie juriſpatronatus.*
VII. *De jurepatronatus eccleſiaſtico.*
VIII. *De jurepatronatus laico.*
IX. *De jurepatronatus mixto ex eccleſiaſtico, et laico.*
X. *De jurepatronatus reali.*
XI. *De jurepatronatus perſonali.*
XII. *De jurepatronatus regio.*
XIII. *De jurepatronatns feudali.*
XIV. *De jurepatronatus privato.*
XV. *De jurepatronatus hereditario.*
XVI. *De turno, ſeu alternativa.*
XVII. *De jurepatronatus gentilitio.*
XVIII. *De jurepatronatus familiari, ſeu agnatitio.*
XIX. *De jurepatronatus mixto ex gentilitio, aut familiari, ſeu agnatitio ſimul, & hereditario.*
XX. *De jurepatronatus lineali.*
XXI. *De jurepatronatus primogenitali, ſeu conſtituto ad formam primogeniturae, vel majoratus.*

XXII.

XXII. *De jurepatronatus activo.*
XXIII. *De jurepatronatus paſſivo.*
XXIV. *De inſtitutione.*
XXV. *De juribus patronorum, & benefactorum honorificis.*
XXVI. *De renunciatione, ſeu dimiſſione beneficii jurisſpatronatus.*

PARS

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De definitione, et origine Jurispatronatus.

OPus perdifficile aggredior, quod, cum vel clarissimorum doctorum ingenia contorserit, merito ab ipsis *mare magnum* nuncupatur. Juspatronatus communiter definitur: *Jus praesentandi clerici ad obtinendum vacans beneficium*. Quae definitio ut nimis arcta merito rejecta fuit a Francisco de Roye Antecessore Andegavensi in *prolegom. ad tit. de jurep.* (a), qui alterum adinvenit definitionis modum ad amplitudinem Jurispatronatus magis accommodatum, cum plura praeter jus praesentandi jura patronis competant, ut infra dicam; adeoque eſſe ait *jus, quod fundatori alicujus Ecclesiae in ea competit.*

Hujusmodi *jurispatronatus* nominis originem alii desumunt ab antiqua servorum manumissione, quia sicut servum manumittere quoad dominum, patronum deinde nuncupatum, quasi novi hominis creatio dicitur a jurisconsultis; ita fundare novam Ecclesiam quoad fundatorem, patronum quoque

(a) *Cap. 1. pag. 2. in princ.*

deinde nuncupatum, est novam Ecelesiam creare. Alii desumunt a patrocinio, quod patroni habent ecclesiarum ab ipsis fundatarum, quia introducti sunt *ad defensionis subsidium*, ut dicitur in *cap.* 12. *de poenis*, Vide Joannem Petrum Gibert *tom.* 3 *Corporis juris canonici tit.* 2. *de benefic. sect.* 5. *pag.* 12.. Melius desumit laudatus de Roye (*a*) a bonis ipsis, quibus fundatores beneficia dotarunt, quia sicut qui antea servi *dominus* erat, post manumissionem fit *patronus*; ita qui antea dictorum bonorum *dominus* erat, post dotationem ecclesiae fit *patronus* ejusdem ecclesiae, cui ea donavit.

In hodierna vero acceptione ipsum non ante saeculum XIII. notum fuisse sat innuunt antiqui Canones, in quibus nulla *Patroni*, et *Patronatus* mentio, sed *fundatoris*, et *fundationis* nominis dumtaxat vestigium exstat; et illud *jurispatronatus* nomen, quod in *cap.* 1., *et* 2. *de jurepatronatus* legitur, certe in antiqua decretalium collectione, et in integris canonibus, qui reperiuntur in Concilio Cabilonensi II. sub Carolo Magno, et Triburiensi sub Arnulpho, non extat; et fuisse a Raymundo earundem decretalium collectore suppositum scribit eruditissimus Florens (*b*). Imo ipsum nomen, et jus *praesentationis* non ante saeculum sextum sub Justiniano Imperatore prodiisse docent interpretes: sed revera prodiisse saeculo quinto potiori jure tuetur ipse de Roye (*c*), qui inter alia hujus vetu-

(a) *Loc. cit. pag.* 2. *in fine*, *et pag.* 3.

(b) *Tom.* 2. *ad caus.* 16. *can. aliquot*, *in tractat. de antiquo jurep. in praefat. de origin. jurispatronatus pag.* 78.

(c) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 2. *pag.* 6.

tustioris originis monumenta affert verba illa *can.* 10. Concilii Arausicani sub Valentiniano III.: *reservata aedificatori Episcopo hac gratia, ut quos desiderat clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est*; idest reservata hac gratia Episcopo, qui in suo territorio, seu fundo, extra tamen suam dioecesim, ecclesiam aedificavit.

De laicis Concilium non loquitur: *benigne tamen* (inquit Franciscus Florens (*a*)) *et provocandae liberalitatis fidelium, etiam laicorum, erga ecclesias, et pauperes occasione non multo post eadem jura producta fuerunt ad laicos*. Eumdem canonem confirmavit *can.* 36. Concilii Arelatensis dicto saeculo sexto sub Justiniano Imperatore; et fuisse penes fundatores jus *denominandi* clericos, ut inquit Justinianus, satis aperte patet ex *novel.* 57. *cap.* 2., *et novel.* 123. *cap.* 18., ubi dicitur: *Si quis Oratorii domum fabricaverit, et voluerit in ea clericos ordinare, aut ipse, aut ejus heredes si expensas ipsis clericis ministrant, et dignos denominant, denominati ordinentur.* Igitur jus habebant sive fundatores, sive eorum heredes, *idoneos* ecclesiis nominandi, probandos tamen judicio, et examine Episcopi.

Illud indubitatum est, in *can.* 1., *et* 2. Concilii Toletani IX. fuisse fundatoribus ecclesiarum patronorum nomen concessum ex ipsarum ecclesiarum patrocinio: sed indubitatum quoque est, ecclesias praeter patronos a prioribus usque saeculis peculiares defensores habuisse, qui non ecclesiarum modo, et rerum, ac personarum monachorum jura tueri debebant; verum etiam tam ipsis, quam ipso-

(a) *Tom.* 2. *ad lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *de jurep. pag.* 252. *vers. quibus vero.*

ipsorum colonis, et subditis justitiam ministrare, ut ex fundationum antiquarum diplomatibus colligit Wan-Espenius (*a*). Et hi sunt, qui *Ecclesiarum Advocati*, *Vicedomini*, *Custodes*, *et Guardias habentes* appellantur in *cap.* 23. *de jurepatronatus*; et *Guastaldi* quoque dicebantur, prout etiam patet ex Legum Longobardarum *lib.* 2. *tit.* 47. *de advocatis, et vicedominis*. Quorum tamen officium, licet quandoque alius cum aliis confundatur, ut patet ex *eod. cap.* 23. *de jurep.*, ex *cap* 7. *in fin. de statu monachorum*, et ex *cap.* 12. *de poen.*, plane diversum erat, ut patet ex *can.* 8. *caus.* 1. *quaest.* 3. apud Gratianum, ubi advocatus a vicedomino differt, quod alterius munus fuit defensoris, quem ipse vocat quoque *Castaldum*, et *Judicem*, alterius vero procuratoris, quem *praepositum*, et *oeconomum* quoque appellat, seu vices Episcopi gerentis, ut explicat idem de Roye (*b*), quem Gregorius in *can. volumus, dist.* 89. in prima parte Decreti *majorem domus* appellat, seu *rectorem domus* Episcopi. Ab eo vero differre illum, quem nunc *oeconomum* Episcopi vocamus, exigendis, et dispensandis proventibus Episcopalibus deputatum, sentit ipse de Roye (*c*), licet et nomine *oeconomi* appelletur a glossa in *eod. can. volumus*, *verb. et majorem*, *lit. F.*.

Ad custodes autem, seu habentes guardiam, aut custodiam ecclesiarum, et guastaldos pertinebat ecclesiarum tuitio, et defensio, sicut in libris feudorum dicitur feudum *guardiae*, quod cu-

---

(a) *Tom.* 3 *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 1. *n.* 25.
(b) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 11.
(c) *Loc. cit.*

custodi dabatur praediorum, unde de Roye (*a*) nomen *guardiani* apud regulares desumit. Ab advocato longe differt in hodierna acceptione advocatus, seu causidicus, cum in antiqua acceptione advocatus fuerit defensor, seu protector ecclesiarum, cujus munus ut plurimum erat penes proceres, et optimates, puta ducem, comitem, sive alium virum potentiorem, ac viciniorem illi ecclesiae, quam defendebat, ut jura ecclesiarum magis potentia, quam facundia, tuerentur adversus potentium, et divitum oppressionem; ad quam alludit *can.* 42. *in Cod. canonum Ecclesiae*, sumtus ex quodam Concilio Carthaginensi, ubi Concilium decrevit, ut *ab Imperatoribus adversus potentias divitum cum Episcoporum provisione defensores delegentur.*

Hujusmodi autem defensores antea munus defensionis causarum ecclesiae sustinuisse patet praesertim ex alio Concilio Carthaginensi in *eod. Cod. canonum Ecclesiae can.* 64., quo Concilium decrevit, ut *nomine provinciarum omnium Africae legati ad comitatum perrecturi petant ab Imperatoribus facultatem defensores constituendi scholasticos* (idest causidicos), *qui in actu sunt, vel in munere defensionis causarum; ut more Sacerdotum provinciae defensionem ecclesiarum suscipiant, et pro negotiis ecclesiasticis, quoties necessitas flagitaret, ingrediantur Judicum secretaria.* Vocat Concilium Carthaginense scholasticos *in actu*, quos Concilium Sardicense *can.* 9. appellat *scholasticos de foro* juxta discrimen inter scholasticos, qui in foro, et scholasticos, seu declamatores, qui in docendo versabantur.

(a) *Loc. cit. vers. denique.*

Varium igitur fuit advocatorum munus juxta variam Ecclesiae disciplinam ; ipsum tamen advocatorum nomen antiquius est, ex quorum collegio olim apud Gentiles eligebantur Sacerdotes provinciarum, qui singularum provinciarum templis, sacris, eorumque proventibus praeerant, Ἀρχιερεῖς appellati ab Eusebio (*a*), sicut in *l.* 46., et 112. *Cod. Theodos. de decurionibus* eorum sacerdotium *Archierosyna* appellatur. Vide Franciscum Florentem *tom.* 2. *ad lib. decretal. tit.* 33. *de jurepatron. in praef. pag.* 253., *et* 254.. Hujusmodi autem electionis originem alii (*b*) desumunt ex obligatione Episcoporum divinis mysteriis inserviendi, quibus mancipati, cum bonis temporalibus vacare nequirent, et curam gerere infirmorum, *defensorem* constituebant, et *mansionarium*, qui bonorum temporalium, et infirmorum curam haberent.

Verum, cum, quod antea pro defensione ecclesiae factum fuit, in abusum talem degeneraverit, ut qui defensores esse debuissent, *direptores* facti viderentur, ut eos vocat Wan-Espenius (*c*), neque canonibus, aut Principum edictis eorum excessus comprimerentur, oportuit, ut ecclesiae vi privilegiorum eorumdem Principum ab hujusmodi direptoribus advocatis liberarentur, ut ex Henrici III., aliorumque Principum diplomatibus, et ecclesiarum dotationis instrumentis probat Miraeus in *Notitia Ecclesiarum Belgicarum* (*d*), et Zypaeus *de jurepa-*

tro-

(a) *Lib.* 8. *hist. eccles. cap.* 27.

(b) De Roye *loc. cit. cap.* 10. *vers. olim permissum* Balsam. *ad can.* 75. *Concilii Carthag.*

(c) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 20., *et seq.*

(d) *Cap.* 67., *et* 101.

tronatus (*a*). Unde constat aliqua monasteria ipsos Principes habuisse advocatos, seu protectores, ad quae alludere decretum Tridentini *sess.* 22. *de ref. cap.* 8. sentit idem Wan-Espenius (*b*), dum a visitatione Episcoporum eximit *pia loca, quae sub Regum immediata protectione sunt*.

Quod tamen apud nos fuit limitatum pro ecclesiis regiae fundationis, et dotationis, aut immediatae regiae protectioni subjectis in limine fundationis novissimo Concordato *cap.* 5., ubi §. 1. *et* 6. statutum fuit, ut omnes ecclesiae, et loca pia, etiam a laicis gubernata, visitari possent ab Ordinariis *quoad spiritualia tantum*, exceptis ecclesiis regiae fundationis, et dotationis, aut immediatae regiae protectioni subjectis, in ipso tamen limine fundationis, etiamsi eaedem ecclesiae dictae regiae protectioni subjectae in limine fundationis essent ab ecclesiasticis gubernatae.

Ipsos vero ecclesiarum patronos esse nunc earumdem ecclesiarum tutores, et defensores nemo dubitat, et clare patet ex iis, quae in *Parte Prima cap. ult.* dixi; imo plusquam tutores, cum eas reficere, et tueri teneantur sumtibus propriis, si earum proventus non sufficiant. Propterea juspatronatus apposite ad ejus definitionem, quod sit *jus, quod fundatori alicujus ecclesiae in ea competit*, diversum nomen recipit pro diverso jure, quod competit. Nam dicitur *onerosum*, qua patronus tenetur ecclesiam tueri: *honorificum*, qua ei debentur honores: *utile*, qua ei, si pauper sit, debentur alimenta: denique *temporale*, qua possideri

(a) *Respons.* 1. *n.* 15., *et* 16.
(b) *Loc. cit. cap.* 1. *n.* 33. §. *hic obiter.*

ri potest per laicos ; ut ex hactenus dictis non obscure colligitur , et , quae infra dicam , clarius explicabunt . *Constat etiam* (inquit laudatus Florens (a)) *provocandae liberalitatis , et munificentiae Christianorum , ac ecclesiarum aedificandarum causa benignè jura omnia patronatus fuisse introducta , atque non tantum fundatoribus ipsis concessa , sed etiam eorum heredibus .*

Cum ergo juspatronatus sit quid temporale , num illud sit servitus ecclesiae imposita , vel potius ejus libertati non officiat , merito quaerunt juris canonici interpretes . Franciscus de Roye in *prolegom. ad tit. de jurepatronatus* §. *hinc juspatronatus* , non esse servitutem contra fere communem aliorum scriptorum sententiam acriter contendit , neque ecclesiae libertatem imminuere ; *quia* (sunt verba auctoris) , *patroni nullum jus in ecclesiarum collatione habent , sed eam juvant , eique favent , dum idoneos clericos inveniunt , quos Episcopus in iis instituat* . Verum recte animadvertit Wan-Espenius *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 7. , *quod verum diceret auctor , si patroni id unum vellent , agerentque . At plus juris jampridem praetenderunt , et hodie praetendunt patroni . Credunt quippe sibi non tantum esse jus inveniendi idoneos Sacerdotes , eosque simpliciter Episcopo ordinandos , vel instituendos offerendi , ut de cetero liberum sit Episcopis eos recipere , vel repellere &c.* Hinc inquit Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 8. , quod , *sicuti legitima patronatuum jura tollere , piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est ; sic etiam, ut hoc colore beneficia eccle-*

(a) *Loc. cit. pag.* 79. *in princip.*

clesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Nam, *quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debet retorqueri*, ut inquit Innocentius III. ex Concilio generali Lateranensi in *cap.* 12. *de poenis*. Vide Gibert in *Corpore juris canonici tom.* 3. *tit.* 2. *sect.* 5. *n.* 1., *et* 2.

CAPUT II.

Quibus modis juspatronatus acquiritur.

Acquiritur juspatronatus *fundatione*, et *dotatione*, saltem quoad jus vetus, tum *praescriptione*, et *privilegio*. Acquiritur fundatione *ipso jure*, seu seclusa quacumque reservatione, aut concessione, ut decrevit Clemens III. in *cap.* 25. *de jurep.*, quae decretalis integra, uti legitur apud Antonium Augustinum in secunda decretalium collectione, haec habet: *Si aliquis ecclesiam cum assensu dioecesani construxit, ex eo juspatronatus acquirit.* Et ita indubitatum est apud omnes Canonistas, ut ipsa probatio fundationis sit etiam probatio jurispatronatus, nisi fundatores *fundationis tempore se in ea* (scilicet ecclesia) *nihil juris retinere dixerint*, ut respondit Innocentius III. in *cap.* 41. *de testibus*, et ipsa fundatione praesumatur reservatum juspatronatus ad favorem tam fundatoris, quam ejus heredum, si de eo dubitetur (a).

Dixi, fundatione et dotatione: sola enim fun-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. tit.* 8. *cap.* 3. *n.* 4. De Roye *loc. cit. cap.* 13.

fundatione, seu *fundi datione*, ut nonnulli male intelligunt, tantum abest de jure canonum, ut acquiri possit juspatronatus, ac dantes fundum veri censeantur fundatores, ut ipsi canones expresse vetent ecclesias aedificari sine congrua dotis assignatione pro luminaribus, ministrorum stipendiis, aliisque ad Dei cultum necessariis, ut post alios recte animadvertit Fagnanus (*a*). Neque acquiri posse sola constructione refert Pitonius (*b*) fuisse decisum per Rotam ipso scribente, in *Senogalliensi fundationis* 13. *Decembris* 1709. coram Priolo, et confirmatum coram Molines pro ecclesia fundata, et dotata ex oblationibus, et eleemosynis, constructa autem ab altero. *Constructio quippe ecclesiae sine dote ad exhibendum cultum divinum parum utilis, et exigui effectus est*, ut recte Wan-Espenius (*c*).

Eadem ex sententia clarissimi Antecessoris Guillielmi Marani tradit citatus de Roye (*d*), qui recte animadvertit nullum in jure sive canonum, sive decretalium locum exstare, in quo fundatio pro sola fundi datione accipiatur, ut clare innuunt in jure decretalium *cap.* 5. *de consuet.*, *cap.* 3. *de testam.*, et *cap.* 25. *de jurep.*, et in jure canonum *can. monasterium*, *caus.* 16. *qu.* 7., *can. Frigentius ead. caus.* 16. *qu.* 7., ubi Gelasius Papa scripsit Senecioni Episcopo: *Frigentius vero petitoria nobis insinuatione suggessit in re sua, quod Sextilianum vocatur, basilicam se sanctorum Michaelis Archangeli,* et

(a) *Ad cap. quoniam, de jurep. n.* 34.
(b) *Alleg.* 54. *n.* 25.
(c) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 13. §. *cum enim*.
(d) *Loc. cit. cap.* 13. *vers. forte tamen verior.*

et Martini Confessoris pro sua defensione (scilicet devotione) *fundasse .. et ideo, frater carissime, si ad tuam pertinet Parochiam, benedictionem supra memoratae basilicae solemni veneratione depende. Nihil tamen sibi fundator ex hac basilica noverit vindicandum, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur*; et *can. piae mentis ead. caus.* 16. *qu.* 7., ubi idem Gelasius Papa ipsi Senecioni Episcopo scripsit; *Piae mentis amplectenda devotio est, qua Julius nobis in re Juliana sui juris fundasse perhibetur ecclesiam, quam in honorem sancti viti Confessoris ejus nomine cupit consecrari. Hanc igitur, frater carissime, si ad tuam dioecesim pertinere non ambigis, ex more convenit dedicari, collata primitus donatione solemni, quam ministris ecclesiae destinasse se praefati muneris testatur oblator: siturus sine dubio praeter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum.*

Quibus canonibus jus processionis pro jure patronatus accipiendum non esse late probat contra nonnullorum antiquorum interpretum opinionem Franciscus Florens in expositione eorumdem canonum (*a*). Imo Alexander III. in *cap.* 3. *de eccles. aedif.* ob aedificationem ecclesiae in aliqua villa nullum domino villae juspatronatus, aut jus praesentandi dedit, quod Rectori ecclesiae majoris, intra cujus fines aedificata fuit, reservavit. Itaque in aedificio Deo dicato non valet regula

(a) *In tractat. de veter. jurep.*; et *ad lib.* 3. *decretal. tit.* 36. *de jurep. tom.* 2. §. *veniamus*.

gula juris civilis, ut aedificium solo cedat. Hinc processit vulgare illud carmen:

Patronum faciunt dos, aedificatio, fundus.

Itaque concludit de Roye (*a*) nullum ex fundi datione acquiri posse juspatronatus, nisi simul fuerit propriis bonis constructa, et dotata Ecclesia. Super quibus verbis notat Zypaeus (*b*), cui consentire videtur Wan-Espenius (*c*), et docet Fagnanus (*d*), neque constructionem, et dotationem congruam solum sufficere, nisi fundi quoque datio accesserit; seu tria copulative requiri ad jurispatronatus adquisitionem, nempe congruam dotem, aedificationem, seu constructionem, et fundum. Hinc *qui vilem tantum aream dederit, et nihil de suo aliud in dotem, vel structuram contulerit*, dicitur a Zypaeo (*e*) *benefactor, non fundator, aut patronus, cui decerni potest honor aliquis sessionis, processionis, sepulturae etc. ex arbitrio Episcopi deferendus*. Loquitur hic Zypaeus de juribus honorificis, de quibus suo loco agam, quae tribui posse ex decreto, et arbitrio Episcopi ipse autumat quibuscumque fundatoribus, etiamsi jus praesentandi ad beneficia fundata in ipso fundationis limine remiserint, aut loco religioso cesserint, ut communiter Canonistae tradunt (*f*); sicut jure civili in *novel.* 78. *cap.* 2. per re-

---

(a) *Loc. cit. cap.* 13.

(b) *Resp.* 3. *de jurep.*

(c) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 5. *et* 6., *et n.* 11. §. *nullatenus*.

(d) *Ad cap. quoniam de jurep. n.* 26. *et seq.*

(e) *Loc. cit. n.* 9.

(f) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 33., *et* 34. De Roye *de jur. honorific. lib.* 2. *cap.* 3. §. *denique omnes*.

remissionem, aut omissionem patronatus remissa non censetur liberto reverentia patrono debita, nisi dominus *ab his libertum, cui libertatem donavit, absolverit*. Nam *honores sunt annexi qualitati, et dignitati fundatoris, et exhibentur causa pietatis, et munificentiae*, ut inquit de Roye (*a*).

Frustra vero allegatur *cap.* 25. *de jurep.*, ubi Clemens III. dixit, quod *pro fundatione quoque ecclesiae honor processionis fundatori servatur, et, si ad inopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succurritur, sicut in sacris est canonibus institutum*; quia ibi Pontifex loquitur de veris fundatoribus. Pro patronis autem, quibus hujusmodi honores debentur, intelliguntur *veri patroni*, ut inquit Wan-Espenius (*b*): hinc concludit (*c*) eos Capitulis, aut monasteriis, quae jus praesentandi habent *titulo incorparationis*, de quo infra dicam, citra ullam fundationem non deberi. Denique pro benefactore, quicquid supra dixerit Zypaeus, eum intelligi, qui *multum addit ad ecclesiae dotem*, tradit de Roye (*d*). *puta* (ut ipse subjicit), *qui causa est, cur sit ecclesia, quod eam construxerit; qui salvam fecit ejus causam, quod eam collapsam refecerit*; rationem quoque subjiciens (*e*), nempe quia benefactores *ad patronum propius accedunt*.

Sola igitur fundi datio ad acquirendum juspatronatus non sufficit, neque illa, quae in supracitato carmine continentur, *Patronum faciunt dos*, *aedi-*

(a) *Loc. cit.*
(b) *Loc. cit. cap. 7. n. 31.*
(c) *Loc. cit. cap. 7. n. 31. vers. cum igitur.*
(d) *De jur. honorif. lib. 2. cap. 7. §. 1.*
(e) *Loc. cit. in fine.*

aedificatio, *fundus*, disjunctive, sed copulative accipi docet Fagnanus (*a*); scilicet ut tria copulative concurrere debeant, idest dos, aedificatio, et fundus, docent Fagnanus (*b*), aliique apud Gonzalez (*c*), licet ipse amplexus fuerit sententiam Barbosae, Canisii, et Valensis in locis ab ipso citatis, quam vocat *veriorem*, nempe ut ex sola constructione, vel dotatione, aut fundi concessione juspatronatus acquiratur, et citat *cap.* 1. *de jurep.* in quinta compilatione. Ubi tamen non animadvertit Honorium III., dum rescripsit Mariae Imperatrici Constantinopolitanae, ut super jurepatronatus cujusdam monasterii non molestaretur, locutum fuisse de reaedificatione simul, et dotatione, quas sufficientem esse titulum acquirendi juspatronatus infra dicam, non de aedificatione tantum, seu constructione.

Citat praeterea *can. filiis*, *caus.* 16. *qu.* 7., ubi certe nulla de hoc mentio, sed tantum permittit ei, *qui construxit*, *vel dotavit ecclesiam*, facultatem denunciandi Episcopo, aut Judici Sacerdotem, seu ministrum, quem *aliquid ex collatis rebus praeviderit defraudare*. Et notatione dignum est verbum *ditavit*, quo acquiri posse juspatronatus nemo unquam somniavit: aliud est enim *dotare*, aliud *ditare* ecclesiam, ut infra pariter dicam. Denique citat *can. monasterium*, *caus.* 16. *qu.* 2., quem pariter citat Gonzalez sub *ead. caus.* 16. *quaest.* 2., qui revera est in *quaest.* 7. *dict. caus.* 16.: sed ibi agitur de monasterio, vel de oratorio *canonice* con-

(a) *Loc. cit. n.* 26., *et seq.*
(b) *Loc. cit. n.* 26., *et seq.*
(c) *In cap. nobis*, *de jurep. lit.* C. *n.* 3.

constructo, sub qua dictione *canonice* comprehenditur praesertim dotatio, cum tantum absit, ut sine dote *canonice* acquiri possit juspatronatus, ut fuerit expresse a canonibus vetita ecclesiarum aedificatio sine congrua dotis assignatione, ut supra dixi, et infra clarius patebit.

Illa autem verba, *possessionis dominus*, in *can. abbatem, caus.* 18, *qu*, 2., unde pariter deducit Gonzalez datorem fundi habere jus praesentandi, facile explicantur ex eadem voce *possessio*, quae latine significat vel rem, quae possidetur, vel ipsum jus possidendi: scilicet pro domino possessionis ibi intelligitur vel patronus ipsius monasterii *canonice* jam aedificati, vel dominus juris praesentandi, quoties dictus canon de patrono loquatur, quod ex ipso canone aperte non constat. Neque ea verba, *possessionis dominus*, de fundi datore accipi posse vel hoc unum probat, quod fundi dominus post fundi dationem non amplius *dominus*, sed *patronus* dicitur, ut supra animadverti; sicut dominus servi post servi manumissionem dicitur *patronus*, non *dominus*: nam fundus post dationem amplius in datoris potestate non existit, Et testatur Cardinalis de Luca (*a*) de consuetudine, ipsam tantum ecclesiam aedificantem, vel situm concedentem pro constructione capellae, vel altaris non acquirere juspatronatus: *quoniam* (ut ipse subjicit) *non per hoc efficitur compatronus, nisi alias caveatur*.

Verum si plures quoque concurrant ad fundationem, puta unus dando fundum, alter sumptus pro aedificatione, et tertius dotem, omnes *in solidum* fieri patronos, communis est Canonistarum sen-

---

(a) *In summa jurispatr. n.* 15.

sententia (*a*) ; et sic quoque citatum carmen intelligi posse post alios Canonistas docet Fagnanus (*b*), sive aequaliter, sive inaequaliter in fundatione partem suam contribuerint, nisi per partes inaequales exercitium jurispatronatus peculiari conventione acquisiverint. Et si ejusdem fundi alter *directum*, alter *utile* dominium habeat, et dominus directus, ac dominus utilis simul fundationi consentiant, utrumque pariter juspatronatus acquirere docent Canonistae (*c*) ; nisi quis sibi canonem, sive aliam praestationem in fundo ipso reservaverit, cum ad acquirendum juspatronatus fundus dari debeat expers a quacumque servitute (*d*).

Dixi juspatronatus acquiri posse fundatione et dotatione, saltem quoad jus vetus ; nam decrevit deinde Tridentinum *sess.* 14. *de ref. cap.* 12., ut *nemo etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticae, vel saecularis quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, et construxerit, seu jam erectam, quae tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat : in casu autem fundationis, aut dotationis hujusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori reservetur*. Et *sess.* 25. *de ref. cap.* 9. decrevit titulum jurispatronatus *esse ex fundatione, et do-*

(a) Card. de Luca *loc. cit. n.* 14. *ad* 16., Fargna *de jurep. P.* 1. *can.* 3. *cas.* 7. *n.* 2., *et* 3.

(b) *Loc. cit. n.* 34. Card. de Luca *loc. cit.*

(c) Vivian. *de jurep. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 51. Roch. de Curt. *de jurep. vers. Ecclesiam fundavit. n.* 19. Lambert. *de jurep. P.* 2. *art.* 2. *n.* 1.

dotatione: quibus ex verbis satis constat ad acquirendum *ipso jure* juspatronatus in beneficio jam erecto post Tridentinum sufficere solam dotationem, cum eum, qui ecclesiam jam erectam competenter dotaverit, juspatronatus nedum impetrare posse, sed imo obtinere debere hic decreverit Concilium ad ostendendum jus dotantis, ut ipsa dotatione, non autem donatione, ut animadverit Vivianus (*a*), patronus fiat. *Cum enim* (inquit Wan-Espenius (*b*)) *fundatio requirat dotem, censetur dotans quodammodo partem in fundatione habere, imo ipsi fundationi effectum tribuere.*

Quod adeo verum est, ut, ſi plures, sive aequaliter, sive inaequaliter concurrant ad dotandam ecclesiam, seu beneficium, accedente consensu Episcopi, omnes *in solidum* fieri patronos decreverit Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres (*c*), nisi inter eos convenerit de inaequali *quota*, ut doctores loquuntur, circa exercitium jurispatronatus. Et quidem dotatione juspatronatus in toto, et non ex parte acquiri vel ex eo patet, quod absurdum esset ecclesiam esse pro parte liberam, et pro parte non (*d*). Vide tamen Pitonium *de controv. patron. alleg.* 54. *n.* 53., qui contrarium tuetur, modo Episcopus beneficium non conferat uti liberum, sed praesentet uti patronus, quia tunc

(a) *Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 1. Fargna *ad cap. quaecumque, de jurep. P.* 1. *can.* 3., *et eod. can.* 3. *cas.* 7. *n.* 1. *ad* 4.

(b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 13.

(c) Ap. Garz. *de benef. P.* 5. *cap.* 9. *n.* 53.

(d) Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 1. *qu.* 5. *art.* 15. *n.* 2. Piton. *de controv.* [illegible] *alleg.* 54. *n.* 54.

ecclesia non dicitur pro parte libera, et pro parte non.

Nota illa postrema verba Concilii, *ex fundatione*, *et dotatione*, quibus ipsum Concilium utitur in *dict. sess.* 25. *cap.* 9., cum in praecedente *sess.* 14. *cap.* 12. dixerit, quoad beneficia erecta, quae dotem non habeant sufficientem, sufficere pro acquisitione jurispatronatus, *si quis de suis bonis competenter dotaverit*: quoad beneficia vero erigenda, *si illud de novo fundaverit*, *et construxerit*, nullam de dotatione mentionem faciens. Voluit enim Concilium in beneficiis erectis acquiri posse juspatronatus *sola dotatione sufficiente*, seu *competente*; in erigendis vero *fundatione*, et *dotatione*, quia nemo dicitur patronus, nisi fundationi beneficii, seu ecclesiae dotem quoque adjecerit, cum de jure eam dotare teneatur, ut patet ex *can. nemo ecclesiam* 9. *dist.* 1. in tertia parte Decreti, quo decernitur, ut nemo ecclesiam aedificet, nisi *ante praefiniat, qui aedificare vult, quae ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum* (idest Sacerdotum, ut explicat glossa *verb. custodum, litt. I.*) *sufficiant*: et ex *cap. cum sicut* 8. *de consecrat. eccles., vel altar.*, ubi Honorius III. Reginae Ungariae scripsit: *Cum non sit ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, consecranda, et liberalius ad dotandam praedictam ecclesiam aperire manus munificentiae tuae debes, quod ad hoc fortius tamquam ex debito jam teneris.*

Hinc si Concilium in *dict. sess.* 14. *cap.* 12., loquens de beneficiis erigendis omisit verbum *dotaverit*, cum dixerit, *fundaverit*, *et construxerit*, ideo factum est, quia de jure semper praesumitur dotatio, quae intrinsecus inest ipsi fundationi.

Et si

Et si in *dict. sess. seq.* 25. *cap.* 9. omisit verbum *constructione*, cum dixerit *fundatione*, *et dotatione*, ideo factum est, quia in ipsa fundatione de jure inest constructio, cum sola fundi datione sine constructione jam supra probaverim acquiri non posse juspatronatus; nempe ut ostenderet titulum aedificationis esse *fundationi adnexum inseparabiliter*, prout recte, et apposite ad sacros canones animadverit Gagliardus olim Neapoli in hac Regia Studiorum Universitate Juris canonici in Cathedra Decreti Antecessor, deinde Episcopus Muranus, in suo docto tractatu *de jurepatronatus* (*a*) perbelle, et eleganter scripto, ut nullum inter recentiores vel doctissimos rerum ecclesiasticarum scriptores invenerim, qui pari methodo, fere, ut ingenue fateor, admirabili, ac nedum canonici, verum etiam civilis juris scientia hanc materiam pertractaverit. Et fundationem hic pro constructione accipi jampridem docuit de Roye (*b*), vel saltem constructionem sub fundatione comprehendi ultro asseruit laudatus Gonzalez (*c*), licet ipse simplicem fundi dationem tamquam justum acquirendi jurispatronatus titulum recognoverit, ut modo dixi.

Sola igitur dotatione acquiritur juspatronatus ecclesiae jam fundatae, et constructae, non autem erigendae. *Doctores enim* (inquit idem Pitonius (*d*)) *pro hac conclusione allegabiles solum firmant juspatronatus de jure acquiri posse per eum, qui*

(a) *Cap.* 5. *n.* 5.
(b) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 13.
(c) *Ad dict. cap.* 25. *de jurep. n.* 3. *lib.* C.
(d) *Alleg.* 54. *n.* 25.

dotat ecclesiam jam fundatam, et constructam etc. Deinde subjiciens rationem suae opinionis, ut dotans acquirat juspatronatus ex parte, inquit: *sed non descendunt ad nostrum articulum, an ex sola dotatione acquiratur juspatronatus in totum, quando ecclesia non habet patronum ratione fundi, et constructionis. De jure autem ad acquirendum juspatronatus in totum copulative exigitur interventus trium causarum, fundationis, constructionis, et dotationis, quibus simul concurrentibus, dicitur quis deducere ecclesiam de non esse ad esse: alias sola dotatio non sufficit, cum illa non deducat ecclesiam de non esse ad esse, sed ad perfectum esse, seu bene esse.* Neque concedi posse integrum juspatronatus ecclesiae fundatae, et constructae ex sola dotatione, nisi ex privilegio Apostolico, denique tradit (*a*) contra Lambertinum, qui docuit concedi posse etiam ab Episcopo. Illa igitur nonnullorum Canonistarum (*b*) sententia, ut constructione juspatronatus acquiratur, accipienda est de constructione canonica, quae numquam a dote separata consideratur, sed implicite in eadem fundatione inest: aliter *a jure hodierno, et pristinis canonibus* aliena esset, ut recte animadvertit Wan-Espenius (*c*).

Quanta vero debeat esse dos, ut dicatur sufficiens, ita nonnulli Canonistae (*d*) distinguunt; nempe quod aut agitur de beneficio simplici, quod residentiam non requirit, et sufficit dos etiam insuf-

(a) *Loc. cit. n.* 27., *et* 28.
(b) Apud Fargnaim *P.* 2. *can.* 4. *in comment.*
(c) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 6.
(d) Apud Fargnaim *P.* 1. *can.* 3. *cas.* 7. *n.* 3. *vers. haec tamen;* Lotter. *de re benef. qu.* 31. *n.* 3.

ſufficiens pro alimentis beneficiati : aut agitur de beneficiis curatis, ſive aliis reſidentiam requirentibus, et dos debet eſſe ſufficiens pro alimentis, ac omnibus eccleſiae neceſſariis, ne aliter dotans eccleſiam potius *benefactor*, aut *ditator*, quam *dotator* dici mereatur, ut forenſium verbis utar. Illa autem verba, *ditavit eccleſiam*, quae leguntur in *dict. can. filiis, cauſ.* 16. *qu.* 7., de eo, qui dotem eccleſiae ſufficientem dedit, accipienda eſſe cenſuit Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres, prout refert Fargna (*a*) in *nullius Altamurae reaedificationis eccleſiae* 23. *Martii* 1697, quia requiritur dos ita ſufficiens, ut eccleſia ſit redacta de non eſſe ad eſſe, ut loquitur Lambertinus (*b*).

In *redotatione* vero, ut dicunt doctores, ſeu in nova beneficii erecti dotatione, neque dos ſufficit ad acquirendum juspatronatus, niſi tria copulative concurrant, nempe 1.° ut eccleſia ita inops ſit, ut cum nova dote dici revera poſſit redacta de non eſſe ad eſſe : 2. ut dos collata ſit ſpeciali *dotis* titulo, in quo conſiſtit diſcrimen inter primum eccleſiae fundatorem, et inter dotantem eccleſiam fundatam, quia primo eccleſiae fundatori, cum de jure eamdem eccleſiam dotare debeat, neceſſe non eſt bona ſpeciali dotis titulo conferre : 3. ut dotem conferat de ejuſdem primi patroni conſenſu, accedente quoque ſpeciali conſenſu Epiſcopi. Vide Fargnam in *comment. ad ſing. can. de jurep. part.* 1. *can.* 3. *cas.* 9., *et* 10. Quod neque fieri poteſt, niſi ob evidentem eccleſiae uti-

 li-

(a) *Loc. cit. cas.* 9. *n.* 5. *vers. et ita.*
(b) *De jurep. lib.* 1. *part.* 1. *qu.* 6. *art.* 1. *n.* 15.

litatem , quae semper inest , si ecclesia sit pauper .

At si non dos , sed dotis augmentum constituatur, non sufficit augmentum dotis ad acquirendum juspatronatus *ex causa onerosa* , *et ex titulo justitiae* , ut loquuntur doctores juxta Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 9., nisi saltem sit usque ad prioris dotis medietatem juxta receptissimam in foro , et praesertim in Rota doctorum sententiam (*a*). *Nullatenus ergo* (inquit Wan-Espenius (*b*)) *Synodus credidit omnem ecclesiae dotationem, aut constructionem esse legitimam causam concedendi jurispatronatus : consonat id et praxi , utpote quae non omnes , qui ecclesiae non satis dotatae augmentum dotis conferunt, aut successu temporis ad inopiam redactae succurrunt , pro patronis recipit , licet illos benefactoribus adnumeret .*

Pro augmento autem dotis usque ad medietatem antiquae non intelligitur medietas dictae dotis antiquae , sed ea , *quae constituit coaequalitatem dotis* , ut inquit Pitonius (*c*) . *Itaque quando doctores , et Sacra Rota* (inquit idem Pitonius (*d*)) *expresserunt augmentum ad medietatem seu dotis ; seu fructuum intellexerunt de augmento , quod nascitur considerata dote antiqua simul , et nova , sive fructibus antiquis , et novis in unum coacervatis ; quoniam ex. gr. , si beneficium annui reditus scu-*

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 10. *n.* 3. , *et disc.* 65. *n.* 25., *et* 26. . Piton. *discept. eccles.* 33. *n.* 14. , 16.

et (b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 11. *in fin.*

(c) *Discept. eccles.* 33. *n.* 14. §. *at aequivocum.*

(d) *Loc. cit.*

scutorum 100. *augeatur in aliis scutis* 100., *utique habebit annuum reditum scutorum* 200., *et dicentur aucti fructus beneficii ad medietatem plus eo, quod antea erant, ita et taliter, quod dos antiqua dicetur consistere in una medietate, et augmentum in alia medietate. Nam si alias beneficium scutorum* 100. *augeatur in scutis* 50. *conflando scutos* 150., *fructus essent aucti in sola tertia parte, non autem in medietate, et ita semper intellexit Rota, etc.*

Igitur tum juspatronatus dicitur juspatronatus justitiae, *cum augmentum superat antiquam dotem, vel saltem non est inferius, ita ut adaequet medietatem*, ut ait Cardinalis de Luca (*a*), referens plures Rotae decisiones, quas vocat *in materia magistrales*. Imo existimavit Rota in *dec.* 449. *part.* 14. *rec. n.* 1. relata per eumdem Pitonium (*b*), in dicta medietate distributiones quotidianas non esse computandas. Super qua quaestione vide eumdem Cardinalem de Luca de *jurep. disc.* 10. *n.* 7., *& seq.*. Et idem quoque de reaedificatione dicendum, quae sine necessitate, non requisito patrono antiquo, et non accedente consensu Ordinarii, fieri non potest ad acquirendum juspatronatus, cum juxta Tridentinum *ead. sess.* 25. *de ref. cap.* 9. ad ecclesiae refectionem compelli debeat beneficiatus, seu rector ecclesiae.

Itaque tria quoque concurrere debent (*c*), nempe 1. ecclesiae necessitas, puta si diruta sit a fundamentis, aut saltem ejus facies immutata, ut

(a) *De jurep. disc.* 10. *n.* 4.
(b) *Loc. cit.*
(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 11. *n.* 2., et *in summa jurisp. n.* 19., Fargna *loc. cit. can.* 4. *cas.* 3.

nova indigeat consecratione: 2. ut fiat cum expresso animo acquirendi juspatronatus: 3. ut denique accedat assensus Ordinarii, ac patroni antiqui, ſi reaedificans sit extraneus. Qui si reaedificet in fundo antiquo, aut cum materia antiqua, aut super aedificio non integre diruto, erit patronus simul cum patrono antiquo. Aedificio autem facto extra fundum antiquum, si patronus antiquus sit patronus ratione fundi tantum, quia forsan plures simul concurrerunt ad fundationem ecclesiae, puta juxta exemplum supra allatum, si unus dederit fundum, alter construxerit, et alter dotaverit, patronus antiquus juspatronatus amittit. Secus vero, si sit patronus ex causa dotationis, cum dos semper transeat cum loco, ubicumque reaedificata fuerit ecclesia (*a*). *Iniquum enim esset* (inquit de Roye (*b*)) *eum jure suo privari, cujus integra munificentia extat*; sive reaedificans ecclesiam reaedificatam etiam dotet, sive reaedificet tantum, ut probat de Roye (*c*) ex sacrorum canonum, et sanctorum Patrum auctoritate, qui potius dirutarum ecclesiarum reaedificationem, quam novarum ecclesiarum aedificationem commendarunt.

Hinc concludit, quod, sicut qui pecuniam credit ad reficiendam navem, privilegium habet potioris hypothecae, quia *in rem ipsam conservandam impensum est, quod sequens credidit, nempe salvam fecit totius pignoris causam*, ut ait Ulpianus in *l.* 5. *et* 6. *ff. qui potiores in pignore*: ita reaedificans ec-

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 3. *n.* 7., et *cas.* 4. *n.* 1. Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 1. *qu.* 6. *artic.* 4.
(b) *In prolegom. ad cap.* 14. *de jurep. in fin.*
(c) *In prolegom. ad cap.* 14. *de jurep.*

ecclesiam collapsam etiam sine dote, super eadem ecclesia, quam per reaedificationem salvam fecit, juspatronatus habet. Si vero patronus antiquus sit patronus ex constructione tantum, juspatronatus ecclesiae dirutae amittit, exemplo hypothecae, quam quis habet super aliqua domo, cum extincta domo hypotheca quoque extinguatur, ut inquit Paulus in *l.* 98. §. 8. *de solut.*, *& liberat.*

Ordinarii autem nomine, de quo modo memini, intelligitur Episcopus, seu qui jurisdictionem habet Episcopalem cum territorio separato, puta Capitulum, quod in universam fere Episcopi jurisdictionem succedit, seu Vicarius Capitularis, vel Vicarius Apoſtolicus, numquam vero Vicarius Generalis Episcopi, nisi specialis Episcopi facultas accesserit, quae tamen praesumitur per *longissimi temporis* observantiam, seu triginta annorum, modo sit *vera, pacifica, continua, et univoca, non autem aequivoca*, ut inquit Cardinalis de Luca ex *receptissima*, ut subjicit, *doctorum sententia* (*a*), neque Cardinales in suis Ecclesiis Titularibus Romae exsistentibus (*b*). Nam erigere nova beneficia est actus dignitatis Episcopalis, qui alii nullatenus competere potest, nisi saltem jurisdictionem Episcopalem habeat cum territorio separato, ut loquuntur doctores (*c*). Nequit tamen Ordinarius sine consensu legitimi patroni alii licet novam ac notabilem dotem

(a) *De jurep. disc.* 19. *n.* 4., *et* 5.

(b) Piton. *de controv. patron. alleg.* 41. *n.* 8., *et alleg.* 95. *n.* 7.

(c) Ap. Piton. *loc. cit.* Lotter. *de re benef. lib.* 1. *qu.* 5. *n.* 40. *et seq.*

tem offerenti, juspatronatus concedere; nisi ob necessitatem, aut evidentem utilitatem ecclesiae requisitus patronus ad constituendam dotem illam praestare renuat, quae ab alio offertur cum petitione jurispatronatus: quia tunc potest Episcopus, etiam dissentiente patrono, juspatronatus dotem offerenti concedere, saltem ut sit patronus una cum fundatore, ut docet Wan-Espenius (*a*).

Ex dictis patet olim non alium jurispatronatus titulum fuisse, quam fundationis. Sed lapsu temporis, inspecta natura ipsius jurispatronatus, quod uti non mere temporale, sed potius spirituale transmitti potest ad heredes, praescriptionis quadraginta annorum titulo non secus ac alia jura, tum contra patronum, tum contra ecclesiam acquiri posse receptum est; unica adhibita limitatione, quam deducunt nonnulli interpretes ex *cap.* I. *de praescript. in VI.*, ut ad praescribendum juspatronatus contra ecclesiam liberam dictus ordinarius terminus quadraginta annorum, qui de jure canonico requiritur ad inducendam praescriptionem, non sufficiat, sed praescriptio requiratur immemorabilis, seu tanti temporis, *cujus contrarii memoria non exsistat*, juxta verba Bonifacii VIII. in *dict. cap.* I. *de praescript. in VI.*. Quae tamen antiquorum nonnullorum interpretum limitatio communiter ab aliis rejecta fuit, modo cum quadragenaria praescriptione concurrant alia juris requisita pro legitima praescriptione, quae infra dicam. Sufficit igitur praescriptio *per tempus legitimum, idest quadraginta annorum, quod tandem constitutionibus Pontificum definitum*

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 13.

tum est ad praescriptionem ecclesiasticam, ut inquit Franciscus Florens (*a*).

Ad probandam autem praescriptionem immemorabilem oportet (docet glossa ad *id. cap.* 1. *de praescript. verb. memoria*, *lit. C.*), ut testes deponant, *quod semper viderunt, et audierunt ita esse, nec unquam viderunt, et audierunt contrarium, et quod communis est, et fuit semper opinio, quod sic fuerit, et quod non extet contrarii, vel initii memoria*. Itaque testis depositio in praxi sequenti methodo concipitur, nempe:

Essendo io cittadino etc., ho sempre veduto, ed inteso da' miei antenati, che la famiglia etc. è stata nel possesso del patronato etc., e di nominare i rettori pro tempore *al beneficio, nè mai ho veduto, o inteso il contrario, essendosi sempre posseduto da detta famiglia da tanto tempo, di cui non vi è memoria d' uomo in contrario. E questa fu sempre, ed è la voce, e l' opinione comune fra i cittadini.*

Deinde loquens de probatione contra immemorabilem subjicit: *Si autem contra hoc adversarius probare vellet, testes sui (si de ipsorum esset conscientia) deberent dicere, quod viderunt tali tempore contrarium, et audierunt a suis superioribus contrarium ejus fuisse. Quid ergo, si utraque pars probat? Tunc praeferuntur testes magis idonei, et qui dicunt aptiora etc. Et sic illi, qui dicunt se vidisse contrarium, deberent praeferri, cum alii satagant negativam*. Quae glossae regula in *dict. cap.* 1. *de praescript. in VI.* circa dictae immemorabilis proba-

---

(a) *Ad lib.* 3. *decretal. tit.* 38. *tom.* 2. *in tractatu de jurep. ad cap.* 13. 14. 16., *et* 23. *pag.* 287. §. *quod ad praescriptionem.*

bationem, quam doctores *celebrem* appellant, fuit communiter per eosdem doctores, et in foro recepta (*a*): *licet illud requisitum secundi auditus, quod scilicet majores audierint ab aliis majoribus, ad superabundantiam probari solitum sit; vere tamen non sit necessarium, ejusque defectus dictae probationi non praejudicet*, ut animadvertit Cardinalis de Luca (*b*), qui optime ad rem plures refert Rotae Romanae decisiones.

Instrumentis tamen, vel aliis scripturis probari non potest, *cum non sit res, de qua instrumentum rogari, vel confici potest*, ut subjicit eadem glossa; nisi probetur contrarium, cum contrarium sit *actus affirmativus*, vel nisi *scripturae enuncient*; *seu praesupponant immemorabilem*, ut inquit Cardinalis de Luca (*c*). Nam hujusmodi regula; *immemorabilem non probari scripturis*, procedit, quando *scripturae continent initium, seu titulum*; ut inquit idem Cardinalis de Luca (*d*). Ideo ordinarie oportet, ut testibus comprobetur, qui aetatis sint saltem 54. annorum, ut scientiae, quae ante 14. annum dari non potest, debitam causam deponant, licet testes subditi sint producentis, ut communiter docent doctores ad *dict. cap.* 1. *de praescript. in VI.*, et definivit Rota (e); et deponant de visu (*f*). Suf-

---

(a) Card. de Luca *de benef. disc.* 32. *n.* 5., *et* 6., *in adnotat. ad S. Conc. Trid. disc.* 11. *n.* 12., *de regul. disc.* 2. *n.* 18.

(b) *De benefic. disc.* 32. *n.* 6. *in fin.*

(c) *De benefic. disc.* 32. *n.* 7.

(d) *Loc. cit.*

(e) *Coram Coccino decis.* 345. *n.* 3.. Card. de Luca *in adnotat. ad S. Conc. Trid. disc.* 11. *n.* 12., *et* 13.

(f) Glossa *in dict. cap.* 1. *verb. memoria.*

Sufficit vero pro immemorabili quasipossessio centenaria, quae implicite continet praesumtionem bonae fidei, et justi tituli ex regula Bonifacii VIII. in *cap. Episcopum, de praescript. in VI.*, etiamsi titulus sit difficillimus, modo impossibilis non sit. Nam centenaria dicitur a doctoribus titulus de mundo melior (*a*), qui, citra ullam aliam probationem, puta scientiae, et patientiae eorum, quorum interest, vel aliorum requisitorum pro legitima praescriptione, sufficit ad probandum juspatronatus. Et probatur sola quasipossessione continuata, et pacifica centum annorum, cum praesentationibus pariter continuatis, quarum una saltem sit supra nonaginta annos, licet non physice completa sit, sed morali modo; puta *si deficiant aliqui menses, vel etiam aliquis annus*, ut inquit Cardinalis de Luca, ex veriori, ut ipse docet, doctorum sententia, aut plures anni (*b*): sicut immemorabilis probatur per solam immemorabilem quasipossessionem, ita ut onus probandi contrarium, puta quasipossessionis vitium, sit adversarii, quia praesumitur orta ex fundatione, vel dotatione.

Id itaque tum intelligendum, cum de sola centenaria, vel immemorabili praescriptione agitur sine ulla tituli exhibitione. Exhibito enim titulo, ipsoque irrito, aut insufficienti reperto, exhibens facto suo, sua scilicet confessione, ope excluderetur immemorabilis, aut cente-

---

(a) Piton. *alleg.* 58. *n.* 8., *et* 36.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 65. *n.* 4., et *disc.* 57. *n.* 33.

(b) *De jurepatron. disc.* 57. *n.* 32.. Piton. *alleg. it.* 92. *n.* 75, et *discept. eccles.* 23. *n.* 4.

tenariae praescriptionis (*a*), quae corrueret per vitiosam originem, aut titulum infectum, si de iis constiterit clare (*b*); puta si originem habeat a sententia nulla, et pluries rejecta, qua manutentionem, qui sententiam pro se habuit, numquam obtinere potuit (*c*). Clare, inquam, nam praesumtio, quae oritur ab hujusmodi quasipossessione immemorabili, aut centenaria, non eliditur a conjecturis, aut probationibus imperfectis (*d*). Periculosum igitur est titulum exhibere, aut probare ea, quae pro legitima praescriptione requiruntur, nisi cum praevideatur exhiberi posse ab adversario, quia tunc, qui habet pro se probationem *extremorum*, ut loquuntur doctores, legitimae praescriptionis, si non immemorabilis, aut centenariae, saltem quadragenariae praescriptionis jure se tueri potest.

Igitur praeter praescriptionem, quae oritur ex quasipossessione immemorabili, aut centenaria, admittitur, jure etiam antiquo, praescriptio, seu quasipossessio continuata, et pacifica quadragenaria, nempe ea praescriptio, quam generatim de rebus ecclesiae decrevit Alexander III. in *cap.* 4. *de praescript.*; concurrentibus tamen circumstantiis a jure civili pro praescriptione requisitis, nempe ti-

(a) Piton. *discept. eccles.* 112. *n.* 11., *et* 12.. Rota *decis.* 218. *part.* 6. *rec.*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 57. *n.* 30.

(b) *Arg. cap. fin. de praescript.* Covarruv. *in reg. possessor. part.* 2. §. 3. *n.* 1.

(c) *Coram Burrat. decis.* 472. *n. ult.* et *coram Cerro decis.* 152. *n.* 28., *et* 29.

(d) Piton. *alleg.* 58., et *alleg.* 59. *n.* 49.. Rota *decis.* 29. *n.* 52. *part.* 7. *rec.*

titulo aliquo praecedente, et bona fide, ut inquit citatus Florens (*a*), seu titulo colorato, ut doctores loquuntur; puta si quis possideat pro herede, pro emtore, pro donatario. Pro herede, inquam, si *ex. gr.* succedat in hereditatem patroni saltem putativi; pro emtore, si emat ejusdem putativi patroni hereditatem: pro donatario, si donationem ab eodem putativo patrono de Ordinarii assensu habuerit, nempe *si alicui donatum sit a non patrono, quem tamen verum esse patronum bona fide crediderit, aut praedium illud emerit, cui juspatronatus annexum esse dixit, ac scripsit venditor*, ut explicat de Roye (*b*): vel alio titulo colorato, cum, si pro justo titulo accipiatur titulus verus et validus, nulla opus esset praescriptione (*c*); dummodo cum bona fide, et justo titulo concurrant quoque continuatae, et pacificae praesentationes per annos quadraginta cum scientia, et patientia eorum, quorum interest, ut communiter receptum est apud doctores (*d*), quae saltem sint tres, prout de rebus judicatis, ut vim legis habeant, scripsit Cujacius (*e*), *non si bis tantum similiter judicatum fuerit, sed si saepius*; et colligi facile potest ex *cap. cum Ecclesia, de caus. poss.* seu *in qua tres variae, et continuatae praesentationes admissae occurrant*, ut inquit de Roye (*f*), modo cum praescriptione quadragenaria con-

(a) *Loc. ultim. citat.*
(b) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap. 16. in fine.*
(c) Rota *coram Coccino decis.* 233. *n.* 1., *et* 3.
(d) Piton. *alleg.* 80. *n.* 12.
(e) *Lib.* 20. *observ. cap.* 1.
(f) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap. 16. in fin.*

conjunctae sint. Et ita ipse dicit intelligendum esse vulgatum illud: *Proprietatem jurispatronatus acquiri posse per tres diversas praesentationes*, nempe si cum quadragenaria praescriptione conjunctae sint. Quae tamen scientia, et patientia praesumitur ex praesentationibus multiplicatis (a), modo bona fides sit etiam continuata, scilicet non interrupta per malam fidem supervenientem, apposite ad jus tam civile, quam canonicum in hoc Regno confirmatum per decisionem S. R. C. latam junctis aulis anno 1738., et per regem adprobatam, qua praescriptiones et in Regno obtinere decisum fuit, si conditiones habeant tam jure civili, et municipali, quam Pontificio requisitas.

Concludendum igitur ad acquirendum juspatronatus sufficere praescriptionem quadragenariam, concurrentibus tribus continuatis, et diversis praesentationibus, bona fide, et justo titulo, seu titulo colorato, sive agatur de praescriptione jurispatronatus contra ecclesiam liberam, in qua requiri praescriptionem immemorabilem veteres interpretes docuerunt; sive contra privatum, in qua nonnulli, ut refert de Roye, dixerunt sufficere praescriptionem ordinariam decem annorum inter praesentes, et viginti inter absentes. Quia sicut servitutes praescribuntur eo temporis lapsu, quo praescribuntur praedia, quibus adhaerent; ita ad praescriptionem jurispatronatus sufficit ea praescriptio, quae sufficit pro ecclesia, cui adhaeret, nempe quadragenaria, modo cum praescriptione conjunctae sint tres praesentationes, prout in foro vidisse

(a) Piton. *discept. eccles.* 61. *n.* 28.

disse servari testatur ipse de Roye (*a*).

Neque contrarium decrevit Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 9., a quo praeter titulum fundationis, et dotationis admissus fuit titulus *ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui memoriam hominum excedat, aliasve secundum juris dispositionem*. Nam particula disjunctiva *ve* satis innuit, praeter praescriptionem immemorabilem, et centenariam, praescriptionem etiam *secundum juris dispositionem*, seu quadragenariam, admissam fuisse. Hinc dicto Tridentini decreto, prout visum est ipsi de Roye, immutatum non fuit jus antiquum, cum illa rigorosa probatio, de qua Concilium loquitur, ad potentium dumtaxat juspatronatus limitatum fuit (*b*). *Quia id jus plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet*, ut inquit Concilium: ideo decrevit, ut *plenior, et exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur, quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatae, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur.* Quam Conciliarem Sanctionem circa tituli exhibitionem in Gallia non servari testatur ipse de Roye (c), ne jurapatronatus titulo fere omnia destituta a laicis amittantur. Neque a Galliae usu differt hujusce Regni politia, qua dictum Concilii de-

(a) *Loc. cit.* §. *verum*.
(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 7. *n.* 4. . Fargna *P.* 5. *can.* 12. *cas.* 1. *n.* 5.
(c) *Loc. cit.* §. *sed quaeritur*.

decretum quoad probationem jurispatronatus potentium in Regno non obtinet.

Juspatronatus igitur laicorum non potentium, quos in eodem Tridentini decreto comprehendi nonnulli putant, ad *dict. cap.* 9. Tridentini non pertinet, cum quoad eos Concilium nihil antiqui juris immutaverit, ut antea animadverti. Ideo *ad demonstrandam* (inquit Fargna (*a*)) *existentiam jurispatronatus, et qualitatem patronalem in beneficio sufficit ordinaria juris communis probatio* : puta instrumentum, testamentum, codicillum, aut ejusdem testamenti copia, si desit originale, seu protocollum, forsan deperditum, modo testes dicant copiam concordare cum originali : publica vox, et fama legitime testibus probata, quae conjuncta cum quadragenaria possessione praesentandi, et seclusa praesumtione usurpationis, in antiquis probat : Episcopi decretum de dandis alicui tanquam ecclesiae patrono alimentis : consensus praestitus ab Episcopo erectioni, qui constet per ejus confessionem, et attestationem : insignia, seu arma familiae, quae petit juspatronatus, in eadem ecclesia beneficii afflixa, concurrentibus adminiculis, aut si fuerint apposita in ipsa fundatione, nempe si ita antiqua sint, ut est antiqua ecclesia, cum insignia apponi quandoque soleant etiam a restaurantibus ecclesiam, licet non essênt patroni, aut a largientibus eleemosynam, a quibus juspatronatus non acquiritur (*b*); inscriptiones, et epitaphia anti-

(a) *P.* 5. *can.* 12. *cas.* 1. *n.* 5.

(b) Rota *post alleg.* 12. *Pitonii* §. *hanc autem*, *et* §. *id tamen*.

tiquissima, in quibus de familia, et jurepatronatus illi competente mentio fiat: multiplicatae praesentationes antiquae, quae effectum habuerint per centum annos: enunciativae antiquae in diversis instrumentis a diversis Notariis confectis, junctis adminiculis, vel fama: ac enunciativae ipsorum patronorum emissae in actis gestis ab Ordinario, vel ab Ordinario adprobatis: acta S. Visitationis, in quibus testes cum juramento asserant exsistentiam jurispatronatus, vel in quibus fiat mentio beneficii tamquam de jurepatronatus, onerumque ei adnexorum, si Visitationes sint plures, et antiquae: assertio Episcopi, quae plurimum valet, cum facile negotium Episcopo non sit admittere juspatronatus in beneficio, quod posset ad suam liberam collationem spectare: libri in archivio Episcopali exsistentes, si in eis ecclesia tamquam juripatronatus obnoxia descripta sit: vel alia documenta ab archiviis publicis extracta: assertio, seu *narrativa*, ut dicunt doctores, Summi Pontificis, si dicet ecclesiam, seu beneficium esse de jurepatronatus, modo *absolute* facta sit, scilicet sine conditione, neque per dictionem *ut asseritur*: sententia Ordinarii jurispatronatus *canonizatoria*, ut loquuntur doctores, scilicet lata juris ordine servato, et causa cognita, praesertim proxime ad Concilium Tridentinum, in qua praesentatus a patronis fuerit ab eodem Ordinario institutus; quae potest esse plena probatio, si justificetur ex actis, ut iidem doctores loquuntur, aut saltem est adminiculum, si ex actis non justificetur, aut non sit antiqua juxta nonnullorum opinionem: sententia etiam Principis laici, praesertim in beneficiis de jurepatronatus feudali: provisiones beneficii si-

sive ab Ordinario factae tamquam de jurepatronatus, sive Apostolicae cum derogatione jurispatronatus: diuturna observantia contra Ordinarium, si nullum pateat documentum collationis beneficii ab Ordinariis pro tempore factae tamquam liberi: instrumentum donationis ecclesiae, seu jurispatronatus alteri factae, et a Sede Apostolica confirmatae: restaurationes sive in ecclesia, sive in pavimento pluries ab illis de familia factae: libri historici, in quibus mentio fiat de jurepatronatus, si antiqui sint, et per valde diuturnum tempus recepti; eo vel magis, si aliae exsistant circumstantiae, *quae in antiquis veniunt conjungendae ad faciendum unum totum*, ut inquit idem Fargna (*a*), quae etiam in casibus praedictis interdum necessariae sunt ad perfectam probationem concludendam.

Quibus probandi jurispatronatus modis sequentes addit citatus Florens (*b*), id est, si qui petunt sibi adjudicari juspatronatus, *honoribus, et praerogativis patronorum ordinariis usi fuerint . . . , vel reliquis juribus patronis debitis, per tempus legitimum, idest quadraginta annorum*. Vide eumdem Fargnam *P.* 5. *can.* 12. *cas.* 1. *n.* 5., *et seq.*, Cardinalem de Luca *de jurep. disc.* 9. *n.* 17., *et* 18., *et disc.* 57. *n.* 11., *et seq.*, Rotam apud Pitonium *de controv. patron. post alleg.* 12., *alleg.* 43. *n.* 1., 3., 4., 5., 6., *et seq.*, *alleg.* 72. *n.* 2., *et* 3., Rotam in *supplement. ad alleg.* 100. *in Cremonensi beneficii coram Lancetta die* 3. *Decembris* 1706. *n.* 101., *et* 102..

Qui-

(a) *Loc. cit. n.* 33.
(b) *Loc. ultim. cit.*

Quibus non obstat vulgata hodie, et in Regni Tribunalibus laicis absolute recepta regula, ut observantia numquam succedat in locum fundationis, cum nullus praeter fundationem, et erectionem legitimam beneficii titulus admittatur, quia praesumtio semper est pro qualitate laica, si desit qualitas ecclesiastica superveniens, et acquisita, ut dixi in Prima Parte in *cap.* 1. *de benefic. pag* 3.. Ideoque deficientibus fundatione, et erectione, beneficium censeri debet capellania laica, seu legatum pium. Nam dicta regula, quae locum habet in beneficiis simplicibus, in beneficiis cum cura animarum, aliisque majoribus cum jurisdictione non obtinet. Ipsis enim sive exsistente, sive deficiente fundatione, semper insita est natura beneficii ecclesiastici, quae excludit omnem praesumtionem qualitatis laicae, seu legati pii: ac propterea, fundatione deficiente, juspatronatus probatur adminiculis, et conjecturis juxta modum supra descriptum.

Idem quoque dicendum esse de probatione jurispatronatus potentium, in quo rigorosa probatio a Tridentino praescripta non servatur, ex hactenus dictis satis superque patet. Ideo de extremis dictae probationis juxta formam Concilii in *dict. cap.* 9. *sess.* 25. *de ref.*, cum in Regno non obtineant, nullus hic agendi locus; licet non rara sint exempla usurpationis, ob quam Concilium dictam rigorosam probationis formam praescripsit.

Illud dumtaxat pro explicatione tituli, seu modi, quo ad laicos olim, et deinde ad monasteria, et Capitula, seu ad personas potentes, frequenter juspatronatus transivit, non omittendum, quod olim circa saeculum VIII., et IX. Principes bona ecclesiae, et ipsa monasteria, ac parochias sibi addice-

bant, et in feudum, vel *alodem*, una cum obventionibus, et fructibus, suis militibus dabant. Et cum ibi milites uti domini ea possidentes praejudicialem ecclesiae usum, seu abusum induxerint presbyteros cum modici emolumenti assignatione pro libito, et inconsulto prorsus Episcopo instituendi, et destituendi, cautum fuit *can. nemini caus.* 16. *q.* 7., ne dictos presbyteros sine Episcopi auctoritate iis ecclesiis praeficerent. Unde factum est, ut, quod ipsis antea erat absolutum dominium in dictis ecclesiis, postea in simplex juspatronatus transiverit. Et cum nonnulli eorum dictas ecclesias cum eodem jure in monasteria, et Capitula transtulerint, hinc maxime originem sumsit juspatronatus monachorum, et canonicorum, quod in origine laicum postea ecclesiastici jurispatronatus naturam induit (*a*).

Hinc quoque orta est portio congrua, de qua agitur *cap.* 4. *de regularibus*, *in VI.*, & *cap.* 2. *de decimis*, *in VI.*, quae nomine *portionis sufficientis*, aut alio nomine frequenter appellatur a Synodis, et praesertim a Concilio Lateranensi sub Innocentio III., ut patet ex *cap.* 30. *de praebend.*. Nam translatis dictis ecclesiis ad monasteria, et Collegia canonicorum, exemplo laicorum, a quibus ea receperant, etiam apud ipsa abusus invaluit dividendi *ecclesiam* ab *altari*: et ecclesiam, decimas, aliaque temporalia jura sibi adjudicantes, presbyteris, seu *vicariis*, ut vocabantur, *altare* solum, seu curam spiritualem assignabant, quam ab Episcopis impetrabant praevia praestatione alicujus census pecuniarii ipsis solvendi in amotione, seu mu-

(a) Wan Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 31., *et* 32.

mutatione dictorum vicariorum; nempe *mutatis Clericis, quos personas vocant*, ut inquit *canon.* 4. *caus.* 1. *qu.* 3. apud Gratianum, in signum recognitionis, quod altare illud de consensu, et auctoritate Episcopi tenebant, ad instar *relevii*, quod praestatur Principi a Barone in nova feudi *investitura*. Quae praestatio, seu *pensitatio*, ut eam vocat Petrus de Marca, *redemtio altarium* dicebatur, prout appellatur in decreto, quod sub Urbani VIII. nomine, seu potius Concilii ab Urbano habiti Alverniae exstat apud Gratianum *dict. caus.* 1. *qu.* 3. *can.* 4.; a quo etiam vetita fuit monasteriis possessio, quam habebant altarium, et decimarum sub hujusmodi redemtione ab annis triginta, et supra.

Notat Petrus de Marca ad *can.* 7. Concilii Claromontani, quod tandem *illud consecuti sunt canonici, et monachi, ut altarium, sive ecclesiarum quasi-proprietas, adempta personarum substitutione, illis addicta sit absque ullius pensitationis onere*. Hinc saeculis XII., et sequentibus usus obtinuit, ut monasteria, et Capitula vicarios curatos praesentarent, et earum ecclesiarum *patroni* vocarentur, reservata Episcopis *adprobatione*, et *institutione*; ac retento titulo Pastorum *primitivorum*, postquam dicti vicarii declarati fuerunt *perpetui*: quia ad tollenda incommoda, quae ab amotione vicariorum procedebant, et pro bono quoque regimine visum fuit Episcopis, et Synodis, ut cura animarum exerceretur per vicarios perpetuos, et praesertim Concilio Tridentino *sess.* 7. *de ref. cap.* 7., ubi decrevit: *Beneficia ecclesiastica curata, quae Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, et*

annexa reperiuntur, *ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere curent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, animarum cura &c. laudabiliter exerceatur*.

Itaque *vicaria perpetua*, ut eam vocant, seu vicariatus perpetuus est verum beneficium, ut definitum fuit in Clementina *unic. de offic. vicarii*, ubi dicitur, ut in hujusmodi *perpetuis ecclesiarum parochialium vicariis* ea observentur, *quae de ecclesiis curam animarum habentibus etc., ac de ipsarum rectoribus promovendis ad sacerdotium, et de eorum aetate a jure statuta noscuntur*; ita ut *jura loquentia in beneficiis, etiam parochialibus, locum habeant etiam in his vicariis*, ut animadvertit Rebuffus, et communiter tradunt Canonistae; et abbates, et canonici, aliique, qui ecclesias sic unitas habent, pastores sint *nomine* tenus, ideoque Sacramentorum administrationi, sive alteri functioni parochiali se immiscere nequeant.

Et his *vicariis perpetuis* portio congrua assignanda est, quod ex portione exigua, quae ipsis assignabatur, fiebat, ut nullus inveniretur Sacerdos, qui vel exiguam pariter haberet scientiam, prout hunc abusum deplorando post alia Episcoporum, et Synodorum decreta statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 30. *de praebend.*, *ut consuetudine qualibet Episcopi, vel patroni, seu cujuslibet alterius non obstante, portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur*. Atque id quoque decreverunt Alexander III. in *cap.* 12. *de praebend.*, Bonifacius VIII. in *cap* 4. *de regularibus, in VI.*, Alexander IV. in *cap.* 2. *de decim. in VI.* §. *ubi autem*. Vide Wan-Espenium *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 4. *tit.* 3. *cap.* 1. *per tot.*

Et

Et ut e diverticulo in viam redeam, quod de praescriptione quadragenaria circa juspatronatus dixi, de praescriptione pro extraneo contra patronum intelligitur, non autem de praescriptione pro patrono contra compatronum. Quia cum praesentatio inter actus facultativos, qui de jure non praescribuntur, recenseatur, requiritur *qualitas coactiva*, ut doctores loquuntur, seu observantia cum *qualitate coactiva, et subsecuta acquiescentia*, ut iidem doctores explicant; idest ut qui praescriptione utitur, fuerit admissus ad praesentandum non obstante oppositione patronorum, modo subsequatur observantia, seu *acquiescentia*, per quadraginta annos, ut praescriptio quadragenaria dici possit (*a*): aliter non inducitur praescriptio. Quae nec valet contra successores in jurepatronatus gentilitio, vel agnatitio, seu ubi quis veniat jure proprio; nec contra alios compatronos, nisi tot sint legitimae praescriptiones cum omnibus requisitis, quot sunt personae de familia vocata. Et contra successores quidem non valet, etiamsi non modo qualitas coactiva concurrat, verum et expressus consensus patronorum antecessorum, ex vulgata juris regula, quod praescriptio inducta contra antecessores non nocet successoribus jure proprio venientibus, cum succedant ex persona propria, *independenter ab antecessoribus*, ut iidem doctores loquuntur (*b*).

Cum agatur (inquit Pitonius (*c*)) *de jurepatronatus*

(a) Rota ap. Piton. *alleg.* 17. *n.* 9., *et* Piton. *alleg.* 66. *n.* 30., *et* 31.

(b) Card. de Luca de *jurep. disc.* 15. *n.* 2., *et* 7.. Piton. *alleg.* 17. *n.* 10., et *alleg.* 66. *n.* 30. 31., *et* 32.

(c) *Alleg.* 17. *n.* 10.

natus passivo, in quo vocati fuerunt omnes de domo, de familia, de castellis, tali casu praescriptio introducta contra antecessores non praejudicat successoribus jure proprio venientibus, et ex propria persona vocatis. Veruntamen interrupto statu a statibus subsequentibus, nempe statu beneficii, juxta phrasim eorumdem doctorum, observantia etiam praescriptiva, dicitur interrupta, et status immutatur (*a*). Neque praescriptio incipit contra patronum aetate minorem, aut mentis non compotem ob tutoris, aut curatoris negligentiam (*b*).

Quae de praescriptione quadragenaria pro extraneo contra patronum hactenus dixi, nescio, an in Regno hodie obtineant; in quo licet definitione in Comitiis a Sacro Regio Consilio evulgata anno 1738., regiis quoque litteris confirmata anno 1743., admissa, et adprobata fuerit praescriptio concurrentibus conditionibus a jure civili, pontificio, et municipali requisitis, ex recepta deinde in foro consuetudine ne ipsa quidem centenaria praescriptio prodesse solet, si servitutem excipias, aut viam executivam instrumentorum, de qua latius dixi in mea Theorico-Practica *P.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1.

Tertius denique modus acquirendi jurispatronatus est privilegium Summi Pontificis jure pontificio recentiore, seu *decretalium*, introductum, in beneficiis tamen suae liberae dispositioni subjectis: quod vel *personale* est, vel *reale*, vel *mixtum*. Personale extinguitur cum persona, seu personis, qui-

(a) Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 7. *n.* 25., *et* 26.. Fargna *P.* 2. *can.* 1., *et* 2. *caſ.* 6. *n.* 22.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 63. *n.* 13.. Rota ap. Piton. *post alleg.* 20. *n.* 28.

quibus concessum fuit (*a*) : ideo privilegium concessum familiae desinit in ultimo de familia (*b*). Privilegium reale, cum inhaereat rei, transit ad omnes rei possessores, et est perpetuum. Hujus generis sunt jus nominandi, et eligendi monasterio, Capitulo alicujus ecclesiae, vel alicujus ecclesiae Rectori, aut alicui Principi in suo Regno concessum; quod cum certae rei, seu potius certo loco adnexum sit, non potest ad aliam rem, sive ad alium locum extendi (*c*). Mixtum denique privilegium, quod personae, et rei adnexum est, magis reale, quam personale est; ideo etiam perpetuum est, et in dubio semper praesumitur reale, seu locale (*d*).

CAPUT III.

Quibus modis juspatronatus amittitur.

JUspatronatus, sicut praescriptione acquiritur ex parte praescribentis, ita praescriptione amittitur ex parte patroni, contra quem praescribitur, ejusque successores, si juspatronatus sit hereditarium. Nam si sit gentilitium, aut agnatitium, non praescribitur, nisi contra peculiares personas de gente, aut familia, non autem contra earum successores, ita ut tot requirantur praescriptiones cum omnibus pro legitima praescriptione requisitis, ut su-

(a) *Regula 7. de reg. jur. in VI.*
(b) Piton. *discept. eccles. 33. n. 9.*
(c) *Cap. 9. de privileg. in VI.*
(d) Abbas *in cap. pro illorum, de praebend. n. 4.*

supra monui in *praeced. Cap. pag.* 41., quot sunt personae de gente, et familia vocata, contra quas fit praescriptio, quae cessat, cessantibus iisdem personis, cum post earum obitum praescriptio ipsarum successores non afficiat.

Sed alii sunt modi praeter praescriptionem, quibus legitime amittitur juspatronatus. Et quidem amittitur aedificio destructo, sicut aedificatione acquiritur (*a*); quod tamen intellige juxta ea, quae supra dixi in *Cap. praeced. pag.* 23. *et seq.* de reaedificatione ecclesiae destructae, addita pariter limitatione, si quis sit patronus non solum constructione, sed etiam dotatione, quia exsistente dote, etiam non exsistente aedificio, juspatronatus non amittitur (*b*).

Amittitur mutatione status ecclesiae juripatronatus subjectae in ecclesiam Cathedralem, aut monasterium, accedente tamen patroni ejusdem ecclesiae consensu. Quod tamen intellige quoad praesentationem Praelati tantum, non autem quoad jura honorifica, et quoad ipsum jus praesentandi canonicos, sive beneficiatos in eadem ecclesia; modo proventus antiquae ecclesiae in ejusdem ecclesiae Cathedralis, seu Capituli, et beneficiatorum usum convertantur de Episcopi consensu, et reservatione. Et quoad praesentationem quidem Praelati amittitur juspatronatus, *nisi alias* (inquit Cardinalis de Luca (*c*)) *in ipsa erectione ex Apostolica auctoritate cautum sit, ut praesertim in ecclesiis de regio patronatu praxis docet*: sicut mutata ecclesia in

---

(a) Fagnan. *in cap. quoniam* 3. *de jurep. n.* 56. Vivian. *P.* 3. *lib.* 15. *cap.* 1. *n.* 2.

(b) Fagnan. *loc. cit. n.* 60.

(c) *In summa jurisp. n.* 136.

in ecclesiam Collegiatam, patronus habet jus praesentandi canonicos, seu beneficiatos ecclesiae Collegiatae (*a*).

Amittitur unione dictae ecclesiae, seu beneficii jurispatronatus alteri ecclesiae liberae, accedente dictae unioni consensu patroni sine ulla ejusdem jurispatronatus reservatione (*b*).

Sunt et alii modi amittendi, seu potius transferendi jurispatronatus, qui ex causis partim gratuitis, seu lucrativis, partim onerosis procedunt. Causae gratuitae, seu lucrativae sunt donatio, legatum, fideicommissum: onerosae sunt emtio, venditio, permutatio, transactio. Et ad donationem quod attinet, opus est varias donationis species distinguere, nempe donationem factam laico a donatione facta ecclesiastico: donationem factam extraneo a donatione facta compatrono: et ipsius jurispatronatus donationem a donatione juris praesentandi.

Donatio enim laico facta indiget assensu Ordinarii, nempe Episcopi, sive ejus Vicarii cum speciali facultate Episcopi, ad quem pertinet cognoscere de fraude, et de pactione, si qua forte intercesserit, non autem de validitate contractus (*c*). Episcopus vero illius dioecesis, ubi sita est ecclesia, seu beneficium, potest extra propriam dioecesim praestare assensum, cum dicatur actus jurisdictionis voluntariae; qui valet etiam tacitus, puta, si donatio fiat praesente, et non contradicente Episcopo, vel praesentatio facta a donatario fuerit ab

(a) *Argum. cap. nobis, de jurep.*
(b) Vivian. *P.* 3. *lib.* 15. *cap.* 1. *n.* 13.
(c) *Cap.* 23. *de jurep., ibique glossa lit. H. verb. contractus.*

ab Episcopo admissa. Numquam vero valet Capituli, aut Vicarii Capitularis assensus, qui in voluntariam Episcopi jurisdictionem non succedit, sed in necessariam tantum (*a*). Eo autem Episcopi assensu non indiget donatio facta ecclesiastico, seu ecclesiae, et loco religioso, scilicet Capitulo, monasterio, vel aliis ecclesiasticis personis, aut dignitatibus, si ejusdem ecclesiae, vel dignitatis, aut officii ecclesiastici, non personae, intuitu fiat (*b*):

Donatio facta extraneo indiget assensu, quo non indiget facta compatrono *ex eadem ratione* (ut inquit Cardinalis de Luca (*c*)), *ob quam licita est alienatio feudi, vel emphyteusis, aut alterius rei prohibitae inter comprehensos in investitura, ac etiam ratione individuitatis jurispatronatus, quod totum esse dicitur penes omnes, et singulos in solidum, diviso solum exercitio etc.. Ideoque donatio, vel alia dispositio non transfert jus de novo, neque servitium ecclesiae auget, vel immutat; sed solum, donatario ita suo juri cedente, atque se de medio tollente, jus compatroni per remotionem obstaculi, seu ex beneficio juris non decrescendi, remanet plenius*. Itaque donatio facta compatrono potius dicitur extinctio jurispatronatus, quia donator tollit se de medio, seu de numero patronorum, quam jurispatronatus translatio in alium, seu compatronum: ideoque jure non de-

(a) Vivian. *de jurep. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 17., *et* 34. Capon. *tom.* 1. *discept.* 12 *n.* 26. Fargna *P.* 2. *can.* 16. 17. 18. 19., *et* 20. *cas.* 4. *n.* 10. *ad* 20.

(b) *Cap.* 8. *de jurep., cap. un. eod. tit. in VI.*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 56. *n.* 10. 11. 12., *et* 13. Fagnan. *in cap. querelam de elect. n.* 23.

(c) *De jurep. disc.* 56. *n.* 13.

decrescendi juspatronatus magis consolidatur in compatrono donatario, ut inquit Lambertinus (*a*); sive compatronus donatarius sit *actu* patronus, sive sit proxime successurus, ut, puta, proprius filius, juxta unam saltem doctorum opinionem, quam tuetur Cardinalis de Luca (*b*), et veriorem existimat Fargna (*c*). Atque ita non obstante Constitutione, *divae memoriae*, valida est etiam sine assensu refutatio feudi facta filio, vel alteri proxime successuro, modo pura sit, scilicet nulli pacto affecta, et sine ususfructus, vel alterius juris reservatione, quia alienationis speciem non habet, sed *praeventivae* potius successionis, ut loquuntur doctores (*d*): sive necessarius sit, sive voluntarius: sive donatio absoluta sit, sive sub conditione, aut in diem. Nam licet pendente die, aut conditione, donatio donatario successori, seu futuro, etiamsi necessarius sit, ut, puta, filius, donatio non prosit, nisi fuerit ab Episcopo confirmata; veniente tamen die, aut purificata conditione, donatio fit absoluta, et donatarius in jus donantis succedit (*e*).

In tertia specie donationis, si donatio sit jurispatronatus, donatio dicitur ejusdem jurispatronatus *abdicativa*, quia cum omne jus in donatarium transferat, donantis jus omnino tollit. Quae tamen ante donatarii acceptationem, aut Ordinarii assensum

---

(a) *De jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 1. *art.* 12.. Fargna *loc. cit. n.* 6., *et* 7.

(b) *De jurep. disc.* 56. *n.* 14.

(c) *Loc. cit. n.* 9.

(d) Ap. Card. de Luca *loc. cit.*

(e) Rota ap. Piton. *post alleg.* 20. *n.* 23. Fargna *loc. cit. n.* 10.

sum nullam vim habet; ita ut valida sit praesentatio ante donatarii acceptationem, aut Ordinarii assensum facta ab ejusdem donantis herede; nisi sit juramento confirmata, ut definivit Rota, & communiter tradunt doctores (*a*). Ideo Ordinarii assensus, qui potest praecedere, concomitari, aut subsequi donationem (*b*), deinde impetratus retro trahi nequit ad tempus donationis, ne alterius jus interim laedatur, ut pariter Rota definivit, et doctores tradunt communiter (*c*); licet sufficiat assensus praesumtus per lapsum triginta annorum (*d*).

Si vero donatio sit juris praesentandi tantum, dicitur donatio juris *cumulativa*, quae a donante jus non abdicat, sed alterum addit compatronum simul cum donante ad exercendum jurispatronatus jura, seu jus praesentandi, salvis remanentibus donanti patronatus juribus tam honorificis, et utilibus, quam onerosis (e), cum per regulam juris (*f*) ita donationem interpretari oporteat, ut donanti minus noceat; neque unquam jus praesumi possit abdicatum a donante, nisi cum fuerit jurispatronatus, non juris praesentandi abdicativa, ut certum est apud doctores, et Rotam (g). Ideo donatarius potest praesentare donantem, si donatio sit de jurepatronatus, non autem si sit de jure

---

(a) Ap. Piton. *de controv. patron. alleg.* 40. *n.* 11., *et* 12.

(b) Rota ap. Piton. *post alleg.* 40. *n.* 30.

(c) Ap. Piton. *alleg.* 100. *n.* 229. 234., *et seq.*

(d) Piton. *alleg.* 63. *n.* 34.

(e) Roch. de Curte *verb. ipse, vel is*, *n.* 44. *et* 45.

(f) *Reg.* 15. *de reg. jur. in VI.*

(g) Ap. Piton. *alleg.* 52. *n.* 77. *et* 78. *alleg.* 39. *n.* 9.

re praeſentandi, cum donator adhuc *remaneat patronus*, ut inquit de Roye (*a*). Sicut donator potest, donatione non obstante, *accumulative* praesentare, si sit patronus laicus; non autem ecclesiasticus, qui post donationem etiam solius juris praesentandi factam nequit praesentare, cum ei variatio accumulativa prohibita sit, ut infra dicam (*b*).

Quando autem juris dumtaxat praesentandi, aut ipsius jurispatronatus donatio sit, ex ipsius donationis tenore arguendum est. Nam licet ex verbis, quibus donatio concipitur, jurispatronatus donatio expressa non videatur, sufficit, si talis appareat ex conjecturis, ex quibus saltem juxta donantis mentem constet donationem esse jurispatronatus abdicativam: puta, si ex communi loquendi modo jus praesentandi cum ipso jurepatronatus confundatur: si donans dixerit *se omnino, totaliter, penitus transferre omne jus in donatarium*, quod idem est, ac juspatronatus transferre nullo jure sibi retento: si dixerit, seu promiserit *se habere ratam donationem, et nunquam ei contravenire neque in toto, neque in parte*; si in ipsa donationis stipulatione praeter alimenta, aut aliquem peculiarem fructum jurispatronatus nihil aliud sibi reservaverit; denique si facto ipso suam mentem jurispatronatus abdicativam declaraverit, nempe si ipse, aut ejus heredes nullum jurispatronatus exercitium habuerint, neque praesentatione, neque alio

(a) *In comment. ad cap. 26. de jurep.*
(b) Fargna P. 2. can 16., 17., 18., 19., et 20. *cap.* 10. *n.* 3. 4., *et* 6.

jure etiam honorifico, utendo (*a*).

Donatio autem juris praesentandi potest esse non solum perpetua, sed etiam temporalis, vel pro una vice, quae idem sonat ac mandatum, licet irrevocabile, procurationis ad praesentandum. Et sicut de jure per *l. mandatum Cod. mandati*, morte mandantis mandatum extinguitur, ita morte donantis extinguitur donatio, prout definivit Rota coram Emerix *jun. dec.* 583. cum plena articuli discussione. Valet vero, si facultatem contineat praesentandi personas *in genere* in casu vacationis beneficii, non autem personam *in specie*, quia tunc obtinet *consil.* 541. *n.* 1. Decii, ut votum contineat captandae mortis (*b*): et praeterea indiget assensu Ordinarii (*c*).

Donatio vero jurispatronatus Ordinarii assensu non indiget, si fiat cum universitate bonorum, aut cum re particulari, cui juspatronatus adnexum est, et in donatarium transeat *accessorie*, ut loquuntur doctores (*d*), aut si juspatronatus transferatur in laicum *consecutive*, non *directe*, ut doctores pariter loquuntur, puta ab Universitate aggregando laicum in Collegium (*e*). Denique animad-

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 2. *P.* 2. *qu.* 7. *artic.* 16. *n.* 2. *ad* 4. Piton. *discept. eccles.* 4. *n.* 66. Fargna *loc. cit. cas.* 10. *n.* 11. Rota *in Bituntina jurispatronatus* 31. *Januarii* 1716. *apud* Fargna *loc. cit. post cas.* 11.

(b) Fargna *loc. cit. cas.* 10. *n.* 14. Card. de Luca *de jurep. disc.* 64. *n.* 34.

(c) Vivian. *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 4.

(d) Card. de Luc. *de jurep. disc.* 19. *n.* 14. Olea *de cess. jur. tit.* 3. *qu.* 6. *n.* 26.

(e) Lambertin. *de jurep. P.* 1. *qu.* 3. *artic.* 17. *n.* 11.

madvertendum, quod, cum donatio possit esse causa mortis, aut irrevocabilis inter vivos, secundum diversam naturam donationis sustinetur. Quae si sit causa mortis, revocari potest, prout ceterae donationes hujusmodi: non potest vero revocari, si sit irrevocabilis inter vivos, nisi rescindatur, prout ceterae donationes, ob supervenientiam filiorum ex *l. si unquam Cod. de revocand. donation.*, ut pluribus probat Vivianus (*a*).

Quod autem dixi de jurepatronatus, ut transferri possit donatione, intelligendum quidem est de jurepatronatus hereditario (*b*), non autem de gentilitio, agnatitio, aut mixto. Id enim neque donatione, neque alio modo transferri in alium potest in praejudicium vocatorum, sed in praejudicium donantis tantum, prout de praescriptione supra dixi, aut non existentibus aliis de familia, vel de gente vocata, aut ipsis omnibus consentientibus; nunquam tamen in praejudicium successorum de familia, aut de gente vocata, ut communiter tradunt doctores, et definivit Rota (*c*): idest jus donatum *durat, et valet durante vita donantis, et donatarius dicitur praesentare proprio nomine donantis*, ut inquit Pitonius (*d*). Cujus rei ea potissima ratio est, quia exsistente familia, aut gente vocata, patronus juspatronatus habet non *pure*, et *simpliciter*, sed oneri restitutionis obnoxium, ita ut in alios sive donatione, sive alio titulo translatum

 suc-

(a) *Lib.* 4. *cap.* 4. *P.* 1. *n.* 22. 31. *et seq.*
(b) De Roye *in comm. ad cap.* 14. *de jurep.*
(c) Ap. Fargna *loc. cit. cas.* 2. *n.* 4., *et* 6. . Piton. *alleg.* 11. *n.* 14., et *alleg.* 65. *n.* 20.
(d) *Alleg.* 66. *n.* 20.

successores de familia, aut de gente vocata vindicare possint jure proprio, et ex propria persona. *Satis absurdum est,* (inquit Justinianus in *l. si duobus §. sed quia Cod. commun. de legat. et fideicom.*) *et irrationabile, rem, quam in suis bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecae, pignorisve nomine obligare, vel manumittere, et alienam spem decipere.*

Ubi igitur opinio Francisci de Roye (a) innitatur, ut jurispatronatus etiam gentilitii donatio valeat, nisi sit prohibita a fundatore, non intelligo. Innocentius III. *citat. cap.* 7. *de donat.* respondit Episcopo Heliensi: *quod si Episcopus ecclesiam illis* (scilicet *viris religiosis*, de quibus supra loquitur) *conferat de consensu patroni, profecto patronus, quod suum est, conferre videtur, jus videlicet patronatus.* Verum ex ipsis Innocentii verbis, *quod suum est*, satis superque patet Innocentium loquutum fuisse de ea jurispatronatus specie, quae ad patronum libero jure pertinet, non de ea specie jurispatronatus, quae restitutioni obnoxia est, seu de eo jurepatronatus, quod *suum* non est, ut ejusdem Innocenti verbis loquar.

Forsan ad eam donationem alludit de Roye, quae vertit se in praejudicium dumtaxat donantis, aut patronorum consentientium, non autem in praejudicium successorum, in quorum praejudicium donatio facta potest semper impugnari, nisi successores sint etiam heredes donantis per textum in *l. cum a matre Cod. de rei vindic.*, ubi sanxerunt Imperatores Diocletianus et Maximianus: *Cum a matre domum filii, te minore, comparasse proponas, adversum eum*

(a) *In commen. ad cap.* 14. *de jurep. §. ult.*

eum dominium vindicantem, si matri non successit, nulla te exceptione tueri potes. Quod si venditricis obtinet hereditatem, doli mali exceptione, pro qua portione ad eum hereditas pertinet, uti non prohiberis. Idest non potest heres fundum alienatum vindicare pro ea parte, qua successit, sed pro ea parte tantum, qua excedit hereditatem: et si fundum ab emtore vindicaret, doli mali exceptione repellitur, ut explicant interpretes ad *eamd. leg.* (*a*), et est *conclusio* (inquit Cardinalis de Luca (*b*)), *quae hodie non admittit amplius controversiam, nisi quando dicta circumstantia nullitatis, vel manifestae resistentiae legis inducat ejus limitationem.* Quaenam autem sit hujusmodi nullitas, aut juris resistentia, quae inducat limitationem legis, supra innuit, dum dicit: *quoties non concurrat talis nullitas actus, vel talis vehemens juris resistentia, quod etiam ipsimet auctori contra tale factum venire licitum esset.*

Ordinarie igitur nequit heres impugnare factum testatoris, licet in eo jus habeat *independenter* a testatore, ut inquit Cardinalis de Luca. Quam juris theoriam sustinet etiam pro beneficio jurispatronatus laicorum Maranta junior relatus ab eodem Cardinali de Luca (*c*), si donatio a testatore facta sit de Ordinarii assensu, aut in iis casibus, in quibus de jure etiam sine Ordinarii assensu licita est translatio jurispatronatus. Cujus sententia mihi videtur probabilior,

(a) Perez. *in praelect. ad XII. Libros Cod. lib.* 3. *tit.* 32. *n.* 14.
(b) *De jurep. disc.* 15. *n.* 5. Piton. *alleg.* 46. *n.* 17.
(c) *Loc. cit. n.* 6.

quicquid alii dixerint apud eumdem Cardinalem de Luca (*a*), nisi hereditas ita modica sit, ut comparari nequeat cum jurepatronatus; idest si vires hereditatis *non suppetant*, ut verbis utar ejusdem Cardinalis de Luca (*b*): quia tunc, cum juspatronatus eam divisionem pati nequeat, quam hereditas patitur, ut heres illud possit *vindicare pro ea parte, qua successit*, juxta verba textus *in dict. l. cum a matre*, totum credo vindicari posse juspatronatus, non obstante qualitate hereditaria vindicantis, ut ego opinor, cum ad hunc casum doctores, qui hujusmodi materiam pertractant, non descendant.

Igitur concludendum ordinarie juspatronatus transferri posse, si sit hereditarium, nempe ad heredes etiam extraneos *transmissibile*, ut forensium verbis utar; quod tamen donatum compatrono, qui illud obtinet cum qualitate gentilitia, aut agnatitia, fit quoque gentilitium, aut agnatitium in compatrono donatario, prout docet Pitonius (*c*) referens decisiones Rotae Romanae, ac rationem earumdem decisionum; scilicet quod *quando rata jurispatronatus per successionem, vel donationem consolidatur, ut in praesenti, in una, eademque familia, seu in eisdem personis possidentibus alteram ratam; hoc casu repugnat, quod in eisdem personis juspatronatus consolidatum in totum diversam habeat naturam, ita ut remanere possit partim hereditarium, partim gentilitium*. Deinde respondens objectioni, quod donatarius repraesentando personam do-

(a) *Loc. cit. n.* 6.
(b) *Loc. cit. n.* 5.
(c) *Alleg.* 92. *n.* 62. & 63.

donantis retinere posset ratam donatam diverso titulo, scilicet hereditario, ait, quod *procedit haec repraesentatio, et reduplicatio personae in materiis, in quibus conservari potest dividuitas, seu divisibilitas; secus in materia jurispatronatus, ubi locum habet jus accrescendi. Nam tunc compatrono donante suam ratam alteri compatrono, fit consolidatio partis cum suo toto, et unam eamdemque induit naturam illius portionis, cui pars cessa, seu donata accedit, ut apud Bellon. de jur. accresc. cap. 9. qu. 44. num. 1. et seq.*

Quomodo autem unum idemque juspatronatus esse possit partim hereditarium, partim gentilitium, ita ut post donationem qualitas ratae hereditariae in gentilitiam convertatur, late dicam suo loco cum de jurepatronatus lineali agam.

Reliquae causae lucrativae, quibus juspatronatus amittitur, sunt legatum, et fideicommissum particulare cum assensu, vel sine assensu Ordinarii secundum diversas personas, quibus juspatronatus legato, aut fideicommisso relinquitur, prout supra dixi de donatione; nempe cum assensu, si donatarius sit extraneus, sine assensu, si sit compatronus (a). Hoc tamen discrimen est inter donationem, et legatum, quod hujusmodi assensus in alienatione ex causa legati retrotrahitur contra heredem ad diem mortis testatoris, ita ut gesta interim per heredem testatoris, idest praesentatio ante obtentum assensum ab eo facta, nullam vim habeant; saltem juxta sententiam Zabarelli (b), quae aequior

 visa

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 56. *n.* 6.

(b) *In cap. cum saeculum, de jurep. n.* 3. Roch. de Curt. *de jurep. verb. ipse, vel is, a quo, n.* 16.

visa fuit in *Faventina beneficii die* 23. *Junii* 1719., relata a Fargna in decisionibus Sacrae Rotae Romanae *dec.* 10. *pag.* 233. *ad* 237. in fine commentarii ad *canon. de jurep.*, quem vide praesertim *n.* 16.

Inter causas autem onerosas, quibus juspatronatus amittitur, recensetur venditio, non quidem jurispatronatus, quam uti simoniacam, vel quasi-simoniacam, ut eam appellat Franciscus Florens, damnavit, et irritam declaravit Alexander III. in *cap.* 16. *de jurep.*; sed rei, cui adhaeret, *quia non specialiter locus sacer, vel religiosus venit, sed emptioni majoris partis accedit*, ut de rei, cui locus sacer, vel religiosus accedit, venditione ait Ulpianus in *l. in modicis ff. de contrahend. empt.*, puta venditio castri, feudi, villae. Imo amittitur juspatronatus etiam emphyteusi, dote, aliove hujusmodi contractu, quo in alium rei dominium sive directum et utile simul, sive utile tantum transfertur, etiam citra assensum Ordinarii; cum tunc juspatronatus non *directe*, et *principaliter*, ut loquuntur doctores, sed *accessorie* transferatur, ut definitur in *cap. cum saeculum*, et in *cap. ex litteris, de jurep.*, ubi Alexander III. respondit, quod, si militi *villa fuerit, non excepto jurepatronatus, ad firmam concessa*, praesentato ab eo adjudicetur ecclesia, et quotidianam praxim testatur Wan-Espenius (*a*).

Hinc si alicui vendita fuit, aut cessa hereditas, seu universum patrimonium, *accessorie* in emtorem, aut cessionarium transit etiam juspatronatus hereditati, seu patrimonio adnexum. Etenim

(a) *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. *n.* 3. *ad* 5.

nim *quaedam, quae non possunt sola alienari, per universitatem transeunt*, ut inquit Paulus in *l. quaedam, quae ff. de acquirend. rer. dom.*. Ideo venditione transferri potest, modo non sit gentilitium, aut ex privilegio, vel personale, seu non adnexum hereditati (*a*); *nisi nominatim receptum, et retentum fuerit juspatronatus*, ut tradit Florens (*b*), et patet ex illis Alexandri III. verbis in *cap. ex litteris, de jurepatronat., non excepto jurepatronatus*; ubi decrevit, concessa *ad firmam* villa, cui adnexum sit juspatronatus, cum villa et juspatronatus transire in *firmarium*, si expresse juspatronatus non excipiatur.

Itaque in ecclesia rei venditae, aut cessae tolli potest (docet de Roye (*c*)) listra prioris patroni, seu venditoris, et poni listra emtoris, aut cessionarii: non autem tolli potest listra fundatoris, sicut *ne, ejus nomine, cujus liberalitate opus extructum est, eraso, aliorum nomina inscribantur, et propterea revocentur similes civium in patrias liberalitates*, Praesidem provinciae suam auctoritatem interponere debere respondit Ulpianus in *l.* 2. §. 2. *ff. de operib. publ.*. Callistratus in *l. ult.* §. 1. *eod. tit.* dixit: *Si quis opus ab alio factum adornare marmoribus, vel alio modo ex volantate populi facturum se pollicitus sit, nominis proprii titulo scriben*do,

(a) Rochus de Curte *de jurep. verb. ipse vel is n.* 4. *qu.* 22., *et* 23. Fargna *P.* 2. *can.* 14. *in comment. et cas.* 2. *n.* 5. 6. 10., *et* 11.. Florens *ad lib.* 3. *decretal. tom.* 2. *tit.* 38. *ad cap.* 7., *et* 19. *pag.* 280. *in fine*, *et* 281.

(b) *Loc. cit. pag.* 281.. Fargna *loc. cit. can.* 14., *et* 15. *in comment. in princip.*

(c) *Lib.* 2. *cap.* 13. *de jurib. honorific.*

do, manentibus priorum titulis, qui ea opera fecissent, id fieri debere Senatus censuit.

Adnexum palatio transfertur cum eodem palatio, si ecclesia, aut capella constructa sit pro commodo habitantium in eo, non autem si esset publica, ubi publice fiunt functiones, omnibusque aditus pateat; ita ut nulli impediatur ingressus; idest si juspatronatus reale non fuerit; sed alio titulo competens, cum tunc juspatronatus non dicatur adnexum palatio (*a*).

Nota illa Alexandri III. verba *ad firmam concessa*. Solebant monasteria, sive ut necessaria ad victum, et vestitum, sive ut potentioris alicujus favorem, et patrocinium reciperent, dare laicis eorum praedia ad *firmam*; quod verbum nonnulli dicunt esse Saxonicum, *annonam*, et *edulia* significans, in quibus olim consistebant pensiones conductionum, ut tradit de Roye (*b*), seu ad longissimum tempus, idest *si vel ad plures annos, vel, ut loquuntur, ad vitam unius, vel plurium personarum constituuntur*, ut inquit Franciscus Florens (*c*). Quare pendente *firma*, firmario de eis disponere posse, eaque pro reliquo tempore etiam ad heredes transferre licebat *pro residuo tempore*, ut loquitur de Roye (*d*). Itaque sub ea comprehenditur emphyteusis, seu illa contractus species, qua res quoad do-

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *P.* 2. *qu.* 5. *artic.* 18. *n.* 3.. Covarruv. *var. resol. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 3. Fargna *loc. cit. cas.* 2. *n.* 10.

(b) *In comment. ad cap.* 7. *de jurep.* §. *denique agitur*.

(c) *Loc. cit. ad cap.* 7., *et* 19. *de jurep. pag.* 282.

(d) De Roye *loc. cit.*. Wan Espen. *Tom.* 3. *P.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. *n.* 8. *ad* 10.

dominium utile tantum transfertur, remanente dominio directo ipsius jurispatronatus penes dominum directum, cum usus rei ad dominium utile pertineat (*a*); item locatio ad longum tempus, non autem locatio ad modicum tempus, ut docent communiter interpretes ad *dict. cap. ex litteris* (*b*), qua nec dominium, nec possessio transfertur, sed rei locatae detentio (*c*).

Itaque in conductorem ad modicum tempus juspatronatus transferri non potest, sicut nec transfertur cum re pignorata in creditorem, *si nulla juris illius specialis mentio facta sit*, ut post alios Canonistas tradit Wan-Espenius (*d*). Sane a veritate quidem aberrat Franciscus Florens (*e*), aliique pauci, qui docent juspatronatus transferri cum re alienata, *etsi pignori detur*, et citat *cap. cum Bertoldus, de sent. & re jud.*; ubi licet dicatur, quod B. praesentatus ad beneficium ab A. nepote ejus, cui dictus Bertoldus miles Curiam suam obligavit, fuit ab Archidiacono de consensu Episcopi institutus; ecclesia postea, seu beneficium, fuit ab Innocentio III. adjudicata Sacerdoti T. praesentato ab eodem Bertoldo proprietario rei, cui juspatronatus adnexum erat; *cum per attestationes* (ut idem Innocentius ait) *nobis constiterit evidenter ipsum a vero patrono* (idest a Bertoldo) *fuisse ad dictam ecclesiam praesentatum*.

Qua-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 6.. Florens *loc. cit. pag.* 281.

(b) Lambert. *de jurep. lib.* 1. *P.* 2. *qu.* 8. *art.* 2.

(c) Fargna *loc. cit. caſ.* 1. *n.* 2., *et* 3.

(d) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 15.

(e) *Loc. cit. pag.* 281.

Quare *alia ratio est in emtore, et feudatario; qui directum, et utile dominium habent in re, et aliud in creditore; quia si jus praesentandi consistit in fructu, eo ipso, quo creditor utitur tali fructu, exonerari debet quantitas debiti: sed talis fructus aestimari non potest, et ideo non diminuit quantitatem debiti: item nec aliis juribus utitur creditor, nisi hoc convenerit .... item quia soluto pignore omnia jura tolluntur etc., et sic praesentatus soluto debito esset ex ecclesia removendus . . . . item quia creditor peccat utendo pignore . . . . Licet enim creditor rem sibi obligatam possit locare . . . tamen fructus computabit sibi in sortem*, ut distinguit glossa ad idem *cap. verb. patrono, litt.* C.. Ista tamen ratio desumta ex natura contractus usurarii, quam admittunt non pauci doctores post dictam glossam (*a*), rejicitur a Gonzalez in *commentar. ad idem cap.* (*b*). *Cum certum sit* (ut ipse ait) *in casu pignoris non aliter creditorem usuram committere, quam si fructus eos ex pignore perceptos non restituat, aut in sortem non imputet; quos imputare, aut restituere potest. Quare cum praesentatio hujusmodi restitutionem non admittat, ea de causa creditor usurarius dici non potest.*

Hinc alia ipse adfert rationum momenta, quorum duo mihi arrident ex jure civili depromta; scilicet, *debitore adhuc expresse non excipiente etc.* (idest non excipiente juspatronatus), *in praesenti specie in creditorem non transire juspatronatus, tum quia debitor per pignoris dationem solam possessionem transfert . . . ., tum etiam quia per pignoris traditionem videtur dumtaxat debitor creditori tribuere jus per-*

(a) Ap. Fargna *loc. cit. cas.* 4.
(b) *Tom.* 2. *tit.* 27. *pag.* 516. *n.* 2. *litt.* E.

percipiendi fructus sua natura aestimabiles . . . Cum igitur praesentatio hujusmodi naturae non sit, ea de causa ad creditorem non spectat. Igitur quod dicit Cujacius in expositione ejusdem Capituli (*a*), non explicat justam rationem dictae decisionis; scilicet quod Bertoldus verus patronus dicitur, quia Curiam, seu fundum dedit *expressim recepto, et retento sibi jurepatronatus*; cum adversetur ipsi naturae contractus pignoratitii, ut creditor praesentare possit ad beneficium pignoratae rei adnexum, quod locum habere in *quolibet fructuario* absolute tradit citatus Florens (*b*).

Quod secus est in creditore, cui res debitoris pro suo credito adjudicata fuerit, cum tunc possideat nomine suo, non debitoris, etiamsi dominium sit *resolubile*, ut loquuntur doctores. Hinc si res fuerit vendita cum pacto redimendi, aut data uxori, si sit viri, pro suae dotis satisfactione, nondum resoluto contractu per redemtionem, aut dotis satisfactionem, jus praesentandi spectat ad emtorem, qui rem emit cum pacto redimendi, et ad uxorem, quae rem possidet pro satisfactione suae dotis (*c*).

Neque transit in sequestrem cum bonis, quae sub sequestro sunt, sive per decretum Judicis, sive de partium consensu, sed penes primum posses-

---

(a) *Bertoldus* 17. *de sent. et re judic. tom.* 6. *litt.* B.

(b) *Loc. cit. pag.* 231.

(c) Rota apud Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *post cas.* 13. *n.* 47., *et* 48.

sessorem remanet (*a*) : nisi integra bonorum universitas sit sub sequestro sive officio Judicis, sive partium voluntate, si duobus, aut pluribus contendentibus eam possidere, nesciatur quis sit dominus legitimus; cum tunc ad sequestrem et juspatronatus transeat, et jus praesentandi pertineat (*b*). Et licet ipse teneatur fructus restituere, eos tamen tenetur fructus restituere, qui servando servari possunt, non eos, qui servando servari nequeunt, inter quos praesentatio recensetur ; quia praesentatio est fructus, qui dicitur tempore consumi, scilicet eo tempore consumi, quod a jure praefinitur ad praesentandum, puta semestri, aut quadrimestri, secundum diversam jurispatronatus qualitatem, de qua infra dicam (*c*).

Num in fiscum quoque transeat cum universitate bonorum ex eorumdem bonorum confiscatione ob aliquod delictum patroni, vide contrarias inter se doctorum opiniones apud Fargna (*d*). Illa tamen mihi videtur vera sententia, quae innititur glossae in *can. filiis, caus.* 16. *qu.* 7. *verb. propinquis* : nempe quod aut confiscatio est praecise super jurepatronatus, et juspatronatus ad fiscum non transit ; aut est super universitate bonorum, cui juspatronatus est adnexum, et transit cum ipsa bonorum universitate, sicut transit in quemcumque extraneum cum eadem universitate bonorum (*e*). *Et in praxi vidi* (optime ad rem meam

re-

(a) Fargna *loc. cit. caſ.* 5. *n.* 1., *et* 2.

(b) Alex. *cons.* 94. *n.* 4.. Fargna *loc. cit. cas.* 5. *n.* 4.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 7. *n.* 6.

(d) *Loc. cit. cas.* 7.. Piton. *alleg.* 15. *n.* 26.

(e) Fargna *loc. cit. n.* 4. *ad* 0.

refert Vivianus (*a*)) *in tali casu de facto una cum universitate publicata transire juspatronatus in fiscum, qui fiscus adveniente vacatione vice patroni Rectorem praesentat*. Vide, quae ipse dicit *P.* 3. *lib.* 15. *cap.* 1. *n.* 27., *et seq.*, ubi plures adfert Rotae Romanae decisiones.

Denique neque uxor jus habet praesentandi in dote inaestimata, cui juspatronatus est adnexum, quia licet apud ipsam sit rei dominium directum, utile tamen seu *quasidominium*, ut illud doctores appellant, in quo jus praesentandi comprehenditur, est penes virum, ad quem proinde pertinet praesentatio (*b*); nisi juspatronatus sit gentilitium, aut agnatitium, nempe adnexum sanguini, et familiae, quod penes eamdem uxorem, uti de sanguine, et de familia, remanet, non obstante matrimonio (*c*).

Num idem dicendum sit de usufructuario, dubitatur inter Canonistas. Fagnanus (*d*) post Lambertinum spectare docet praesentationem ad usufructuarium: contrariam vero secutus est sententiam Renatus Choppinus (*e*) post Joannem de Imola. Ob dictas varias doctorum opiniones, quando casus accidit super hac quaestione, merito esse cogitandum animadvertit Rochus de Curte (*f*), quem secutus

---

(a) *P.* 3. *lib.* 15. *cap.* 2. *n.* 25.
(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 11.. Card. de Luca *de feud. disc.* 10. *n.* 3. §. *nihilominus*. Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 12., *et* 13.
(c) Wan Espen. *loc. cit.*
(d) *Ad dict. cap.* 7. *de jurep. n.* 5.
(e) *De deman. Gallic. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 5.
(f) *Verb. ille vel, is. n.* 64.

cutus est Wan-Espenius (*a*). Verum inter doctores, seu forenses, communis est sententia, exercitium jurispatronatus ad usufructuarium *privative* pertinere, quia, cum praesentatio sit fructus jurispatronatus, ad eum spectat, ad quem spectant fructus (*b*). Et ita vidisse in praxi servari quoad usufructuarium omnium bonorum testatur Vivianus (*c*). Subjicit vero: *attamen cum proprietarius, et usufructuarius sint quasi socii . . . . ad lites tollendas non abs re esset, si simul praesentarent*.

Concludendum igitur, venditione, vel alio contractu, quo res, cui juspatronatus est adnexum, alienatur, saltem quoad dominium utile, juspatronatus, vel saltem ejus exercitium, seu praesentationem amitti, ut supra comprobavi *cap. ex litteris, de jurep.*, modo venditio non ipsum juspatronatus afficiat, sed solum fundum, seu rem, cui juspatronatus est adnexum, ut communiter docent interpretes ad *idem cap.* et Canonistae omnes. Quare rejecerunt falsam quorumdem opinionem, qui videntes juspatronatus venditione, alioque contractu una cum re, vel patrimonio transferri, etiam separatim, uti rem mere temporalem, vendi posse facile sibi persuadebant; atque adeo eorum persuasio ita invaluit, ut in consuetudinem abierit (*d*), sicut patet ex *cap.* 16. *de jurep.*, ubi decrevit Alexander III. hujusmodi contractum *irritum esse*: rationem

(a) *Loc. cit. n.* 13.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 41. *n.* 7., *et disc.* 62. *n.* 9., *et* 10. Rota apud Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *cas.* 13. *n.* 46.. Piton. *alleg.* 9. *n.* 3., *et* 4.

(c) *P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 12.

(d) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 26. *ad* 29.

nem quoque decisionis addens; scilicet, *cum inconveniens sit vendi juspatronatus, quod est spirituali adnexum*: et quidem irritum esse *ipso jure* ſubjicit Glossa *verb. irritum*, *litt. F.*, et docent unanimi consensu Canonistae (*a*).

Hic obiter notandum usum rei materialis, puta, pavimenti ad excavandam sepulturam, parietis ad construendam capellam, et alia ejusmodi, posse a patrono vendi, pretiumque in aliam rem transferri, uti tradunt communiter doctores, et fert consuetudo (*b*).

Permutatione amittitur juspatronatus, scilicet juspatronatus, quod permutatur, si juspatronatus sive ecclesiasticum, sive laicum, sive mixtum, permutatur cum alio jurepatronatus de consensu patronorum, et pariter Episcopi. Sicut enim beneficium cum beneficio de ejusdem Episcopi auctoritate permutari potest, ut supra dixi, loquens de beneficiis; ita juspatronatus cum jurepatronatus permutari potest, ut aperte definitur in *cap.6.*, et *cap. 7. de rer. permut.*, et *in cap. un. de rer. permut. in VI.*, modo concurrat eadem cauſa utilitatis, quae concurrere debet in permutatione beneficii cum beneficio. Facta tamen permutatio sine causa, et sine Episcopi auctoritate irrita est, quae jampridem vetita fuit, cum permutationes prodierunt, nempe saeculo VI., a Concilio Turonensi in *cap. 8. de praebend.*

(a) Ap. eumd. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 30. *ad* 33.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 52. *n.* 10., *et disc.* 53. *n.* 3.. Piton. *alleg.* 43. *n.* 15.

Amittitur praeterea transactione, quia et transactione transfertur juspatronatus, nulla tamen data, aut recepta re ex causa ejusdem jurispatronatus. *Etenim* (inquit Alexander III. in *cap.* 7. *de transact.*) *res sacrae ut possideantur aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem habere credimus simoniae: alias si gratis, et amicabiliter inter se litigantes componant, sacris canonibus nequaquam dicimus obviare*. Concurrere tamen debet Episcopi auctoritas, nisi transactio afficiat qualitatem, non substantiam jurispatronatus; puta si transactio ad declarandam dumtaxat jurispatronatus sive activam, sive passivam qualitatem, et modum praesentandi stipulata sit inter patronos ad lites sedandas, aut impediendas, cum tunc non indigeat assensu Ordinarii. Nec sane assensus Ordinarii requiritur, si patroni conveniant de alternativa in praesentando, ut definitur in *Clementin. plures, de jurep.*, seu de turno activo, in quo tantum requiritur justa causa. At assensus Episcopi tum solum requiritur, cum juspatronatus est gentilitium, ut afficiat successores (*a*), aut cum natura jurispatronatus hereditarii in gentilitiam, aut familiarem, seu agnatitiam convertitur, vel gentilitia convertitur in hereditariam cum praefinitione patronorum, deficiente gente, aut familia vocata (*b*), ut infra dicam. Cui transactioni tanta vis inest, ut successores obliget etiam

(a) Piton. *alleg.* 63. *n.* 31. *ad* 33., *et discept. eccles.* 53. *n.* 20.

(b) Piton. *alleg.* 63. *n.* 22. *et seq.* 30. *et seq.*, *et discept. eccles.* 53. *n.* 20.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 22., *et* 27.

etiam jure proprio venientes ad juspatronatus gentilitium, aut familiare, ac uti a fundatore vocatos, ut post Urceolum *de transaction.* (*a*) tradunt unanimi consensu doctores (*b*).

Dicitur quoque a doctoribus (*c*) transactio, vel quae potius transactionis speciem habet, illa litis definitio, qua alteri ex praesentatis conceditur institutio ad beneficium, alteri pensio solvenda a beneficiato, apposite ad *cap.*21. *de praeb. et dignit.*: ubi dissentientibus Canonicis super electione Prioris cujusdam ecclesiae, et facta duorum electione in dicto Prioratu, ac sententia lata per Judices, ut alter Prioratum habeat, alter *viginti libras de reditibus Capituli, et quadraginta de proventibus Prioratus percipiat annuatim*, ut textus ait, eam deinde confirmavit Innocentius III., *hoc adhibito moderamine* (prout ipse subjicit) *ut ad praestationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata, ne forte circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsi ad praestationem quadraginta librarum minime teneatur.*

Super quibus Innocentii verbis duo notat Cujacius in expositione ejusdem Capituli (*d*); unum scilicet, ut *pensio illa nummaria sit personalis, non realis, idest ut eam debeat Prior, non Prioratus: itaque*

(a) *Qu.* 27.
(b) Ap. Piton. *alleg.* 91. *n.* 12.
(c) Ap. Piton. *alleg.* 81. *n.* 36., *et alleg.* 92. *n.* 154.
(d) *Tom.* 6. *ad dict. cap.* 21. *de praeb.*, *et dignitat. lib. III. decretal.*

que praemortuo Priore , consequens est pensionem illam extingui : alterum , quod , licet *sententia Judicum bonorum virorum constituta est pacis , et concordiae conciliandae causa inter duas partes* , ut inquit ipse Cujacius ; sententia tamen lata fuit per Judices *non ex conventione partium , non ex compromisso ; alioquin resiperet simoniam* , ut ipse subjicit .

Et quidem pensionem esse personalem, si juxta textum in *dict. cap. Bertoldus* , non beneficium , sed beneficiatus ab Episcopo pensione oneratur , certum est apud doctores , prout etiam fuisse decisum per Rotam Romanam refert Antonellus (*a*); quia successor non obligatur *ex facto ejus , a quo nec titulum , nec causam habet* , ut inquit Gonzalez (*b*). Id tamen non vetat (videtur sentire idem Gonzalez) , ut possit *ipsi beneficio , et ejus fructibus onus injungi* , ita ut onus sit reale , et transeat ad successores : quod tamen ab aliis *absolute* negatur (*c*). Et *quamvis* (inquit Wan-Espenius (*d*)) *ex supra dictis pateat , merito dubitari posse , num haec Canonistarum sententia per omnia consona sit decretis Conciliorum sectionem beneficiorum vetantibus : nihilominus ubique pene , ubi auctoritas creandi pensiones Episcopis hactenus conservata est , etiam haec distinctio inter pensionem a Pontifice , et pensionem ab Episcopo probatam invaluit : quod et Zypaeus notavit etc. dicens : probabilior , et magis usitata in hisce*

(a) *Lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 9.
(b) *Ad dict. cap. tom.* 3. *tit.* 5. *pag.* 105. *n.* 5.
(c) Ap. Wan-Espen. *tom.* 3. *p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 21. *cap.* 5. *n.* 15., *et* 16., *et* ap. Antonell. *loc. cit.*
(d) *Loc. cit. n.* 17.

hisce partibus opinio est, Episcopo non super beneficiis, sed super beneficiatis tantum pensionis impositionem concedi.

Transactio autem, licet non vacet labe simoniae, si ex sola partium conventione procedat, licita tamen est, si procedat a Judice, qui litem inter partes componere studeat, ut liti finem imponat, *maxime in beneficialibus, in quibus diuturna vacatio ecclesiis damnum infert*, ut inquit Gonzalez (*a*), assignando partem fructuum *vel in compensationem expensarum, vel quo alio aequitatis colore*, ut subjicit idem Gonzalez (*b*): aequitatis, inquam, colore, puta, ut in praxi fieri solet, si alter praesentatus sit etiam patronus, et pauper; *quia* (subjicit idem Gonzalez (*c*)), *cum nihil inter partes de re temporali convenerit, nullum simoniae periculum vertitur*: concurrente tamen justa causa (ut inquit ipse Gonzalez (*d*)) *puta, si lis inter duos super beneficio orta sit, et aliter decidi non possit, quam si alteri beneficium adjudicetur, alii pensione reservata, ut in praesenti casu.*

Potest igitur tunc Episcopus pensionem alteri parti concedere, quae tamen tertiam partem fructuum beneficii excedere nequit (*e*), non computatis distributionibus quotidianis, et oblationibus in-

(a) *Loc. cit. n.* 9.
(b) *Loc. cit. n.* 10.
(c) *Loc. cit. n.* 10.
(d) *Loc. cit. n.* 8. *in fin.*
(e) Gonzalez *loc. cit. n.* 7. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 2.

incertis (*a*), et deducta portione congrua pro titulari, seu beneficiato (*b*). At quicquid sit de jure circa solutionem dictae pensionis, num solvenda sit in quota parte fructuum, vel in quantitate pecuniae: hodie consuetudo obtinet, ut solvatur in quantitate pecuniae (*c*): *et recte* (inquit Gonzalez (*d*)), *ut tollatur occasio discordiarum, quae ex communione fructuum inter Rectorem, et pensionarium oriri possent*.

Denique animadvertendum, posse Episcopum hujusmodi pensionem concedere super beneficiis jurispatronatus tam ecclesiastici, quam laici, hoc solo discrimine, ut in beneficiis jurispatronatus ecclesiastici nullus requiratur patronorum assensus, prout patet ex *eod. cap. Bertoldus*, in quo nulla assensus mentio facta fuit, quia agebatur de electione Prioris facta a Canonicis ecclesiae: in beneficiis vero jurispatronatus laici non possit pensio concedi sine expresso patronorum consensu (*e*), quicquid dixerit Riccius ex quibusdam Rotae Romanae decisionibus (*f*).

Negat Franciscus Florens in expositione *ejusd. cap. Bertoldus* (*g*) posse Episcopum hujusmodi pensio-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap. 7. n.* 14.

(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap. 7. n.* 17., *et* 18., Gonzalez *loc. cit. n.* 7.

(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap. 7. n.* 13.

(d) *Loc. cit. n.* 7.

(e) Wan-Espen. *loc. cit. cap. 6. n.* 22. *ad* 25.

(f) Ap. Antonell. *lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 10.

(g) *Tom.* 2. *ad lib.* 3. *decretal. tit.* 5. *pag.* 223. §. *ad id vero*.

sionem concedere, quia*, *quod in dict. cap. singulari casu, et ex dispensatione fuit receptum, ad consequentias trahi non debet*, ut ipse subjicit: cujus tamen opinio est singularis. Itaque omnes docent id fieri posse, si fiat Episcopi auctoritate, prout Innocentius III. confirmavit in *eod. cap.* sententiam a Judicibus latam super dicta pensione, quia lata fuit, *non quidem ex conventione nuda partium litigantium, sed auctoritate Judicum compromissariorum, qui benigne inter partes consentientes pro bono pacis ita ordinaverunt**, ut ipse Florens animadvertit (*a*), et post Glossographum docent communiter Canonistae (*b*). *Quamobrem* (animadvertit post alios Fagnanus (*c*)) *qui prius faciunt inter se compositionem, et postea adeunt Judices, ut interponant auctoritatem, non excusantur secundum bonam conscientiam, quominus incidant in vitium simoniae.*

Hinc patet, *quam difficiles se exhibere teneantur ecclesiae Praelati* (inquit Wan-Espenius (*d*)), *ut permittant, aut etiam tolerent ea, quae de facili in exemplum cum ingenti malorum sequela trahi queunt . . . . Quamvis igitur Praelati ecclesiae juxta ante dicta interdum ob bonum ecclesiae annuere possint pensionem alicui non merenti; ob exempli tamen perniciem rarissime id faciendum erit. imo interdum expediret extrema quaeque tentare, quam pensionem permittere, seu indulgere, praesertim eo loco, ubi pensiones tot ma-*

(a) *Loc. cit.*

(b) Ap. Wan-Espen. *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 11. *cap.* 3. *n.* 13. *ad* 15.

(c) *In Comment. ad dict. cap. n.* 5.

(d) *Loc. cit. n.* 16.

lorum ſcaturgines nondum invaluerunt , aut non tales quales petuntur ; eo vel maxime, quia Pontifex dictam arbitrorum *ordinationem* , ut textus ait , expresse non adprobavit , sed toleravit , ut patet ex illis verbis ejusdem textus in *dict. cap.* 21 *de praebend.* : *Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus* , prout optime ad rem animadvertit idem Wan-Espenius (*a*) . Ejus tamen opinio (*b*), ut pensio licite solvi possit ex parte solventis , licite tamen peti , aut exigi nequeat ex parte pensionarii , numquam mihi placuit . Neque valet , quod ipse objicit ex *Capite sequenti* : namque in *cap. sequen.* (*c*) agitur de pensione , quae conceditur ad *redimendam vexationem* , nempe *in utilitatem ecclesiae* eamque ob hujusmodi causam licite concedi posse docet (*d*), non autem licite exigi posse a pensionario . Itaque iste casus longe distat a casu praecedente .

Et ad methodum, quod attinet judicandi , solet Episcopus ante sententiam definitivam institutionis decernere : *Viſis actis praeſentationum ad beneficium de jurepatronatus etc. factarum ad favorem A. et B., pariter Compatronorum ; unde constat de paupertate dicti B., et de portione congrua Rectoris , seu beneficiati , deductis oneribus , etiam pensionis ſolvendae , praevia cognitione status fructuum , et onerum nuper de mandato nostro confecti , auditis omnibus interesse habentibus , nempe patronis , et praeſentatis , qui sponte consensum praestiterunt , ut alteri , nempe A. , institu-*

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 15.
(b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 12.
(c) *N.* 17.
(d) *N.* 16. *praecedente* .

ſtitutio concedatur , alteri pensio ; ad dirimendam nimis dubiam litem auctoritatem nostram praestamus , ut alteri , nempe dicto A. , institutio concedatur, alteri, nempe dicto B. , pensio , quae tamen valorem tertiae partis fructuum non excedat, nempe ducatos . . . juxta computum nunc exsistentium redituum , et onerum beneficii, et solvatur in quantitate pecuniae , non in quota fructuum , et praeterea sit personalis , ita ut onus pensionis sit beneficiati, non beneficii , et ejusdem beneficiati obitu extincta remaneat , servata forma juris. Ac proinde Curia procedat ad institutionem dicti A. cum obligatione dictam annuam pensionem juxta modum praescriptum solvendi.

Si praesentati non sint Compatroni , referri solet in decreto altera aequitatis causa , puta *ad dirimendam nimis dubiam , et hactenus dispendiosam litem etc.* Deinde per Curiam conceditur institutio *cum onere signanter solvendi dictam annuam pensionem juxta modum in dicto decreto praescriptum.* Ita saltem vidi in praxi quandoque servari a doctissimis Episcopis.

CA-

CAPUT IV.

De quasipossessione jurispatronatus, deque modis eam acquirendi, probandi, aut amittendi.

CUm possessio sit ita in jure privilegiata, ut primum locum sibi vindicet tam in ordine justitiae, quam in ordine judicii; ideo ante omnia de ea agere existimavi: eo vel maxime, quia cum modi recenseantur, quibus quasipossessio acquiritur, aut amittitur, quamdam analogiam habet cum titulo praecedenti, in quo de modis egi acquirendi, aut amittendi ipsum juspatronatus. Dicitur quasipossessio, quia jus praesentandi est quid incorporale, quod ad differentiam rerum corporalium in jure dicitur quasipossideri; ut inquit Paulus in *l. possideri* 3. *ff. de acquir. vel amitten. posses.* Decrevit Alexander III. in *cap. consultationibus*, *de jurepatr.*, quod, *si aliquis Clericus ab ordinario Judice in ecclesia fuerit institutus ad praesentationem illius, qui ejusdem ecclesiae credebatur esse patronus, et postea juspatronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri, si tempore praesentationis suae ille, qui eum praesentavit, juspatronatus ecclesiae possidebat, cum ex hoc ei, qui de jure debet habere, nullum in posterum praejudicium generetur.*

Ita quoque decrevit Innocentius III. in *cap. querelam*, *de elect. et elect. potest.* *Et hoc certius est* (inquit Wan-Espenius (*a*)), *et communi calculo receце-*

(a) *Tom.* 3. *part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. *n.* 14.

ceptum, praeſentationem factam a bonae fidei poſſeſſore eſſe validam, imo nec praeſentatum a beneficio vi hujusmodi praeſentationis obtento removendum, tametſi ex poſtfacto conſtiterit juspatronatus revera ad praeſentantem tempore praeſentationis non pertinuiſſe. Rationem quoque ſubjicit, nempe, *eo quod bonae fidei poſſeſſor fructus conſumtos faciat ſuos irrevocabiliter, praeſertim ſi ex iis non ſit factus locupletior, ut per praeſentationem factus non creditur*.

Sed eſt alia, ac duplex ratio: una ſcilicet, quod praeſentatio eſt fructus jurispatronatus, ideoque ſpectat ad poſſeſſorem bonae fidei; altera quod intereſt eccleſiae, ne ob controverſiam ſuper proprietate beneficium diu vacet in praejudicium divini cultus, aut animarum, ſi curam animarum adnexam habeat (*a*). Quae hactenus recenſui de praeſentatione facta a poſſeſſore bonae fidei locum non habent in jurepatronatus Regio: nam contra Fiscum nulla praeſumtio valet, nulla quaſi poſſeſſio, aut temporis praeſcriptio. Nec longiſſimi temporis praeſcriptio contra laicum obtinet, quum tabulae fundationis extant. Idque valet in jurepatronatus tam activo, quam paſſivo, cum quis eſſe poſſit in poſſeſſione non ſolum praeſentandi, ſed etiam ut praeſentetur: puta ſi aliqua familia ſit in poſſeſſione, ut ſemper, et in omni vacatione ejus clerici descendentes fuerint praeſentati, non quidem ex voluntate legitimi patroni, ſed ex neceſſitate, ideſt rejecta praeſentatione ab eodem patrono facta in favorem alicujus clerici extranei, juxta diſtinctionem a Rota adhibitam in *Bituntina beneficiorum* 13. *Martii* 1716. §. *absque eo quod, coram Criſpo* impreſſa apud Fargnam (*b*). Ve-

(a) Fargna' *comment. part.* 2. *can.* 26. *n.* 1.
(b) *Loc. cit. can.* 26. *n.* 54. *poſt cap.* 1.

Verum quia plures in hac materia occurrere possunt exceptiones, vel ex defectu conditionum necessariarum ad acquirendam hujusmodi possessionem, vel ex defectu probationis ejusdem possessionis; vel denique ex ejusdem possessionis amissione: ideo, quae requiruntur ad possessionem acquirendam, et quae ad possessionem amittendam, distincte hic enucleanda existimavi.

Ad possessionem acquirendam requiritur primo, ut quis vacante beneficio praesentaverit Ordinario nominationem factam, cum simplex nominatio Ordinario non praesentata, quae dicitur potius destinatio personae praesentandae, non sufficiat (*a*), sed omnino requiratur, ut exhibeatur Ordinario sive per patronum, sive per nominatum (*b*), qui tacitus de jure dicitur *procurator* nominantis ad praesentandas nominationis litteras (*c*); seu ut *pulsaverit aures Ordinarii*, ut loquuntur Canonistae apud de Roye *ad cap.* 24. *de jurep.* §. *verum patronus*.

Praesentatio enim ad sui essentiam requirit concursum trium personarum, idest praesentantis, praesentati, et instituentis (*d*). *Quamdiu ergo* (optime ad rem animadvertit Wan-Espenius (*e*)) *praesentationis litterae Ordinario, sive illi, cui jus instituendi competit, exhibitae non sunt, adhuc informis* est

(a) Lotther. *de re benefic. lib.* 1. *q.* 6. *n.* 33.

(b) *Cap.* 6. *de his, quae fiunt a Praelato.*

(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 32. *ad* 39. Rota *in Romana capellaniae* 25. *Novembris* 1707. *coram Scotto apud* Fargnam *P.* 1. *can.* 6. *cas.* 2. *n.* 6., *et P.* 2. *can.* 25. *cas.* 1. *n.* 1., Fargna *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 13. *n.* 30.

(d) Lotther. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 6. *n.* 33.

(e) *Loc. cit. cap.* 5. *n.* 36.

est praesentatio ; potestque non tantum laicus, sed ecclesiasticus patronus variare , idque non solum accumulando secundam praesentationem priori, sed etiam a prima in toto recedendo , quemadmodum uno consensu notant Canonistae ad cap. 25. de jurep. , ubi sat innuitur, tum demum variationem interdictam patrono ecclesiastico, postquam idoneum clericum Episcopo praesentaverit : concluduntque ulterius ante praesentationem Ordinario exhibitam nullum jus esse praesentato quaesitum ; demumque litteris praesentationis Ordinario exhibitis, jus ad rem praesentato quaesitum esse. Deinde subjicit (*a*): *Denique ex hisce conficitur, quod non sufficiat, ut patronus infra tempus datum ad praesentandum expedierit litteras praesentationis , sed requiritur , ut infra illud tempus realiter ipsa praesentatio fiat Ordinario ; alias si litterae praesentationis non fuerint exhibitae , poterit Ordinarius elapso termino dato ad praesentandum libere conferre .* Tum igitur permittitur patrono ecclesiastico variare, *cum ejus praesentatio nondum Episcopo denuntiata est* , ut ait de Roye (*b*): *et ratio ea est* (subjicit ipse), *quia non aliter patronus praesentasse dicitur proprie, quam si Episcopo praesentaverit , et antea nihil egisse videtur , seu tantum vento praesentasse , ut loquuntur veteres .*

Et ita refert Fargna (*c*) fuisse per Rotam Romanam decisum in quadam *Romana capellaniae*, ubi insuper dictum fuit, neque exhibitionem sufficere , nisi fiat Ordinario ad finem praesentandi no-

(a) *Loc. cit. cap. 5. n. 38.*
(b) *In comment. ad cap. 24. jurep. §. verum.*
(c) *P. 1. can. 5. post caſ. 2.*

nominationem, non autem Actuario *ad effectum conservandi in actis* tantum (*a*).

Requiritur secundo, ut praesentaverit bona fide. Etenim cum jus praesentandi sit fructus jurispatronatus, ut supra monui, possessor malae fidei de jure non facit fructus suos, ut aperte definitur in *l.* 22. *Cod. de rei vindicat.* (*b*).

Requiritur tertio, ut praesentaverit uti dominus, seu legitimus patronus, nempe putans uti jure suo cum titulo saltem colorato: nam si origo vitiosa sit, seu titulus vitiosus appareat, non sufficit ad inducendam possessionem (*c*). Ideo si praesentaverit procuratorio nomine, seu uti procurator, non acquirit possessionem praesentandi (*d*).

Requiritur quarto in praesentando scientia illius, de cujus praejudicio agitur, scilicet patroni, si beneficium sit de jurepatronatus, aut Ordinarii, si ad liberam Ordinarii collationem pertineat, quoad possessionem acquirendam, non autem continuandam, si legitime sit incepta (*e*). Scientia enim illius, qui alium patiatur praesentare, sufficit, ut praesentans acquirat possessionem contra ipsum, non contra alium patronum aut ignorantem, aut contradicentem. Itaque quamvis explorati juris sit patronum posse admittere non pa-

---

(a) *P.* 1. *can.* 5. *caſ.* 2. *n.* 7., *et* 16.

(b) Piton. *alleg.* 3. *n.* 16. *et discept. eccles.* 28. *n.* 1.. Fargna *part.* 2. *can.* 22., 23., 24. *cas.* 4. *n.* 14.

(c) Piton. *alleg.* 63. *n.* 9., *et* 10.. Fargna *in cap. consultationibus de jurep. part.* 2. *can.* 26. *n.* 1.

(d) Fargna *P.* 2. *can.* 26. *caſ.* 1. *n.* 3.

(e) Piton. *alleg.* 91. *n.* 47.

patronum, seu extraneum ad praesentandum; id tamen intelligitur fieri posse in sui tantum, non in aliorum praejudicium, sive alii ignorent praesentationem ab alio factam, sive praesentationi factae contradicant, ita ut sufficiat vel unus, qui contradicat, ut contra ipsum possessio non acquiratur (*a*): sicut de servitute imponenda fundo communi Celsus dixit in *l.* 11. *ff. de servitut. praedior. rustic.*: *Per fundum, qui plurium est, jus mihi eundi agendi, potest separatim cedi: ergo subtili ratione non aliter meum fiet jus, quam si omnes cedant*.

Requiritur quinto, ut praesentatio suum effectum habuerit, nempe ut praesentatus institutionem, et beneficii possessionem ab Ordinario obtinuerit, et non alio quidem jure, quam jure praesentationis. Sufficit vero vel unica praesentatio, et institutio, cum ad possessionem acquirendam plures praesentationes, et institutiones non sint necessariae, sed sufficiat *ultimus status*, ut loquuntur doctores (*b*). Tum autem dicitur effectum habuisse, cum beneficium vacat per obitum ultimi praesentati valide ab Ordinario instituti (*c*): beneficium enim vacare non dicitur per obitum illius, cujus praesentatio, et institutio irrita fuerit (*d*). Ad possessionem vero sufficit, ut prae-

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 2 *P.* 1. *qu.* 3. *art.* 17. Fargna *loc. cit. n.* 4, *et* 5.

(b) De Roye *in comment. ad cap.* 19. *de Jur. Ap.* §. *sed non immerito*.

(c) Fargna *loc. cit. n.* 6., *et* 7.

(d) *Rota decis.* 99. *n.* 15. *P.* 10., *et decis.* 423. *n.* 11. *P.* 14. *rec.*

praesentatio sit valida, licet institutio facta per Vicarium ex alio forsan capite irrita sit (*a*).

Requiritur sexto, ut praesentatus, et institutus uti Rector, seu beneficiatus legitimus habitus fuerit. Nam si institutio fuerit deinde a Judice appellationis revocata, ex ea nulla acquiritur possessio, ut aperte definitur in *dict. cap. consultationibus, de jurep.*: ubi Alexander III. postquam dixit, quod *institutus non debet ab ipsa* (scilicet ecclesia) *propter hoc* (nempe si fuerit evictum juspatronatus) *removeri, si tempore praesentationis suae ille, qui eum praesentavit, juspatronatus ecclesiae possidebat*; statim subjicit; *si vero non possidebat, sed tantum credebatur esse patronus, cum non esset, poterit ab eadem ecclesia removeri*: ubi ait Glossa *verb. removeri litt. F.*: *quia non praesentatus a patrono etc. et sic credulitas sine possessione non valet, vel non prodest*.

Itaque in hoc casu potest institutus, non obstante institutione, removeri, et institutio revocari; adeo ut ex dicta institutione revocata nulla praesentanti acquiratur possessio. Legitime vero radicata possessio in praesentante non amittitur per collationem beneficii deinde uti libere factam ab Ordinario, quae tamen dederit causam liti: aut per electionem Œconomi ab eodem Ordinario factam per modum provisionis: aut per provisiones Apostolicas, etiam pluries factas, sine praesentatione patroni; cum provisiones Apostolicae neque firment, neque immutent statum beneficii juris-

(a) Rota ap. Garz. *de benef. P.* 5. *cap.* 5. *n.* 104. Fargna *loc. cit. n.* 10.

jurispatronatus sive laici, sive ecclesiastici; imo compatibiles sint cum jurepatronatus ecclesiastico tamquam Apostolicis reservationibus obnoxio: aut per negligentiam patronorum in praesentando in una, vel altera vacatione, nisi constet patronum praesentare voluisse, ejusque praesentationem fuisse rejectam, accedente praesertim praesumta ejusdem vacationis ignorantia, puta quia forsan patronus distat a loco, ubi situm est beneficium, vel praesentatione ab alio compatrono facta; cum explorati juris sit praesentationem alterius patronorum conservare possessionem alterius, nisi *privative*, ut distinguunt doctores, et animo alterum patronum spoliandi alter praesentaverit, quae tamen praesentatio neque sufficit, nisi cum ea concurrat contradictio cum subsecuta acquiescentia (*a*).

Si vero praesentatio fiat per *turnum*, de quo late dicam infra, quasipossessio non prodest in sequenti vacatione patrono, qui in praecedenti vacatione praesentavit, sed alteri turnario, ita ut non ei, qui in praecedenti vacatione praesentavit, sed alteri turnario competat manutentio, cujus praesentatio conservat quoque possessionem alterius patroni, sive aliorum patronorum, quibus in illo turno competit etiam jus praesentandi, si praesentare negligant (*b*).

Probatur possessio ex actibus supra enunciatis, ex sententia, et re judicata, ex Episcopi confes-

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 26. *cas.* 1. *n.* 27. *ad* 31.

(b) Piton. *alleg.* 90. *n.* 30., *et* 34.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 65. *n.* 34.

sione, aut enunciativa praesentationem fuisse coram se factam, suumque effectum habuisse, quin et ex ipsa confessione alterius partis, quae petit, ut altera pars a possessione praesentandi repellatur, et ex testium testimonio (a). Probata possessione, competit possessori manutentio, quae tamen interdum in praxi numquam datur, *nisi*, ut pragmatici dicunt, *videatur de bono jure, seu de pertinentia, etiam ad effectum institutionis*, ut per Rotam interdum decerni testatur Pitonius (b). *Utinam* (subjicit) *hoc passim servaretur, non autem in solo casu possessionis dubiae inter patronos, quia non remanerent spoliati veri patroni, aliquando etiam per saeculum, cum illo benedicto Cap. Consultationibus, de jurep., quod hodie effectum est valde familiare in Tribunalibus, et fere in omni casu juvare solet tamquam herba botanica*. Et cum possessio sit turbida, non datur institutio in possessorio, sed *examinatur pertinentia ad effectum institutionis*, ut subjicit ipse (c); imo si petitorium sit clarum, absorbet possessorium per notam theoriam Panormitani in *dict. cap. consultationibus, de jurepatron.* communiter in foro receptam, ut proprietas clara absorbeat omnem possessionem, omnemque observantiam.

Dicitur autem clarum petitorium per rem judicatam, publicum instrumentum, aut confessionem partis (d). *Textus iste* (inquit idem Pitonius

(a) Fargna *P.* 1. *can.* 5. *caſ.* 1. *n.* 14. *et ſeq.*
(b) *Alleg.* 3. *n.* 17.
(c) Piton. *alleg.* 3. *n.* 24. *in fin.*
(d) Fargna *P.* 2. *can.* 26. *caſ.* 1. *n.* 22. . Piton. *alleg.* 11. *n.* 11., *et diſcep. eccles.* 28. *n.* 2.

nius (*a*) loquens de *dict. cap. consultationibus, de jurep.*) *non procedit, si verus patronus compareat cum suo praesentato, re integra, ante secutam institutionem praesentati a patrono putativo, et doceat de jurepatronatus per rem judicatam, publicum instrumentum, vel confessionem partis; tunc enim proprietas absorbet possessorium juxta theoriam originaliter traditam a Panormitano in dict. Cap. Consultationibus n. 2. vers. quod ego intelligerem etc., quae reputatur in materia magistralis etc., et est inconcussa opinio Sacrae Rotae*; ita tamen, ut *exclusi non remaneant alii modi aequipollentes*, ut inquit Pitonius (*b*), *quia haec regula non est judaica, nec restrictive posita, sed tantum demonstrative.*

Deinde explicans modum, quo praedicta theoria intelligenda sit, subjicit: *quae tamen conclusio non est intelligenda ita stricte, ut nempe illa tria requisita sint adeo limpidissima, ut nihil eis objici valeat; nam hodie apud modernos inolevit opinio, ut quaecumque etiam minima, et levissima umbra difficultatis, aut objecti in petitorio eis sufficiat, ut concedere possint institutionem praesentato ab habente pro se ultimum statum: sed intelligenda est, ut proprietas tunc dicatur clara ad effectum absorbendi possessorium, quando est talis, ut non habeat difficultates requirentes altiorem indaginem, vel quae animum docti Judicis in ancipiti libra suspendant ex dubietate morali, non autem physica, et materiali.*

Postremo subjiciens rationem dicit: *alias enim cum in omni re, etiam clarissima, ex subtilitate in*ge-

(a) *Diſcept. eccleſ.* 23. *n.* 2.
(b) *Alleg.* 11. *n.* 12. *in fine*, et 13.

geniorum inveniri possint dubitandi rationes, *seu potius nebulae quaedam*, *sequeretur quod numquam*, *aut rarissimè haberet locum conclusio*, *quod proprietas veri patroni re integra comparentis absorbeat possessionem patroni putativi*, *quando tamen*, *ut dicatur cessare claritas proprietatis*, *objecta debent esse fortia*, *seu rem moraliter dubiam inducentia*, *ut patet ex Rota in allegata Romana beneficii S. Laurentii in Damaso*, *ubi plura objecta rejiciuntur*, *et pariter in dicta Lauden. Canonicatus coram Tremoille*, *et in aliis decisionibus passim*. Quae theoria innixa est regulae textus in *l. ille, aut ille 25. ff. de leg. 3. §. cum in verbis*; quod, *cum in verbis nulla ambiguitas est*, *non debet admitti voluntatis quaestio*: et in *l. continuus 137. §. cum ita*, *in fin. ff. de verb. obl.*, ubi Venulejus ait: *Confestim obligatus est*, *quia in eo*, *quod tempore*, *atque facto finitum est*, *nullus est conjecturae locus*; ubi Glossa *verb. nullus*, *in fine* subjicit: *in incertis*, *non certis locus est conjecturis*.

Et hic est unus ex modis, quibus amittitur juspatronatus, nempe si petitorium sit clarum; si autem turbidum esset, ut Forensium phrasi loquar, non est recedendum ab ultimo statu: *turbidum*, inquam, *ea turbiditate*, *quae adumbret*, *et suspensum reddat animum Judicis ad decernendum tituli validitatem*, *eo quia contineat ex. gr. plures intrigatas facti inspectiones*, *et altiores indagines*; *non verò ea turbiditate*, *quae provenit ex cavillationibus*, *et subtilibus partium exceptionibus*: *quia non obstante hac turbiditate*, *petitorium esset capax absorbendi possessorium*; *alias difficile esset dari casum*, *quod proprietas absorberet possessionem praesentandi*, *cum nulla inveniatur res*, *super qua ex ingeniorum subtili-*

ſtilitate aliqua difficultas excitari non poſſit, ut inquit Fargna (*a*).

Petitorium vero non dicitur clarum, ita ut abſorbeat poſſeſſorium, inquit ipſe (*b*), niſi conſtet aliquo ex modis ſupradictis, nempe re judicata, publico inſtrumento, aut partis confeſſione. Rem autem non dici judicatam, ideoque petitorium non eſſe clarum, per unicam ſententiam latam pro altera partium ſuper petitorio contra poſſeſſorem docet Fargna (*c*), *quia hujusmodi ſententia in petitorio non eſſet adeo clara, praeſertim ſi ab ea fuiſſet appellatum, ut in continenti poſſeſſorium abſorbere poſſet; tunc enim nullo modo recedi deberet ab ultimo ſtatu*. Illam autem dictionem *in continenti*, quam hic Auctor adhibet, et qua utitur etiam Cardinalis de Luca (*d*) ad explicandum terminum, in quo probari debeat petitorium clarum, ita poſt Innocentium accipit Panormitanus (*e*), nempe ut ad Judicis arbitrium remittatur; inſuper addens (*f*) ad probationem *in continenti* faciendam probationes in promtu non requiri, ſed ſufficere illam fieri poſt congruam dilationem conceſſam, cum ſemper dicatur in promtu oblata, ſi intra breve tempus fiat.

Ille denique terminus quatuor menſium a jure conceſſus in *cap. quoniam, de jurep.* ad definiendam quaeſtionem jurispatronatus in praxi, et de ſtilo fori eccleſiaſtici non obtinet ob inevitabiles ejusdem

(a) *Loc. cit*, *n.* 25.
(b) *Loc. cit. n.* 23., *et* 24.
(c) *Loc. cit. n.* 24.
(d) *De jurep. diſc.* 85. *n.* 4.
(e) *In cap. veniens* 38. *de teſtibus n.* 11.
(f) *In cap. litteras* 13. *de reſtitut. ſpoliator. n.* 6.

dem fori dilationes, ita ut ob non definitam causam intra quatuor menses beneficii collatio facta ab Episcopo servata forma ejusdem *cap. quoniam* irrita sit, et attentatum sit purgandum uti manifesto nullitatis vitio affectum.

Alter, quo possessio praesentandi amittitur, modus est sententia definitiva lata in controversia patronorum praecise pendente super dicta jurispatronatus *pertinentia*, etiam extra casus vacationis beneficii, si contradicto ultimo statu, et plene cognita causa lis decisa fuerit contra possessorem, ut docent doctores (*a*), et saepius definivit Rota (*b*). Vide Fargnam in *dict. cap. consultationibus, de jurep. can. 26. cas.* 1., ubi late dictam materiam acquisitionis, probationis, et amissionis possessionis praesentandi cum dictis distinctionibus, et limitationibus pertractat.

Probata vero possessione praesentandi, et non probata ejus amissione, competit possessori manutentio, seu interdictum retinendae possessionis, prout in mea Theorico-Praxi *Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 5. in judicio possessorio, seu judicio possessorii summariissimi servari dixi; adeo ut, lite exsistente, *donec, et quousque non fuerit per tres conformes sententias decisa, interim non possit retardari institutio*, ut ait Rota apud Pitonium (*c*), puta *si lis indecisa adhuc pendeat in petitorio*, fortasse quia prima sententia lata in petitorio *propter appellatio-* nem

(a) Ap. Lotther. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 53. *n.* 22. Fargna *loc. cit. n.* 26.

(b) Ap. Fargnam *loc. cit. n.* 26.

(c) *Post alleg.* 40. *n.* 55.

nem remanſit ſuſpenſa, et habetur, ac ſi lata non fuiſſet, ad effectum, ut poſſidenti interim non ſit retardanda manutentio, ut inquit eadem Rota apud Pitonium (*a*). Lis enim pendens ſuper petitorio non obſtat manutentioni, ſi patronus, qui praeſentavit, ante litem erat in quaſipoſſeſſione praeſentandi (*b*): obſtat vero, ſi ſit ſuper poſſeſſorio (*c*). *Talis enim, et tantus eſt* (optime ad rem animadvertit laudatus Fargna (*d*)) *favor poſſidentis, et privilegium judicii poſſeſſorii, ut quamdiu oriatur difficultas vel minima ſuper incluſione, vel excluſione non poſſidentis, de facto poſſeſſor ſit manutenendus ad ſtatum, reſervato jure non poſſidentis in petitorio . . . . cum ultimus ſtatus attendatur, nedum ad firmandam poſſeſſionem, ſed etiam ad arguendam naturam jurispatronatus pro coloranda eadem poſſeſſione.*

Itaque concedendam eſſe manutentionem ſecundum qualitatem, puta familiarem, gentilitiam, aut aliam, cum qua poſſidentes in vacatione praecedenti praeſentaverunt, docet, et ita refert fuiſſe pluries per Rotam deciſum (e). *Imo nihil implicat* (ait Pitonius (*f*)), *quod Judex in poſſeſſorio concedat inſtitutionem praeſentato per patronum putativum, et huic reſpective manutentionem, et vice verſa*

(a) *Loc. cit.*
(b) Piton. *alleg.* 40. *n.* 9., *et diſcept. eccleſ.* 28. *n.* 5.
(c) Piton. *dict. diſcept.* 28. *n.* 13.
(d) *Loc. cit. caſ.* 2. *n.* 30., *et* 31.
(e) *Loc. cit. n.* 30. 31., *et* 32.
(f) *Alleg.* 3. *n.* 17.

sa quod concedat sententiam in petitorio super pertinentia favore patroni veri; ita ut, terminato petitorio, non exinde tamen removeatur institutus ad praesentationem possessoris, et patroni putativi.

Lite igitur pendente inter possessorem pro manutentione, et alterum patronum, qui in petitorio petit sibi adjudicari juspatronatus, decernitur, prout in judicio summariissimo, ut *super possessorio summariissimo in biduo, vel infra dies . . .* (idest in termino, qui Judici videbitur) *summarie audiantur partes ad finem providendi ſuper petita manutentione, lite pendente*. Et perfecto judicio, prout in possessorio summariissimo, ac probata possessione ut supra, decernitur per decretum, non per sententiam, quod *citra praejudicium jurium ambarum partium A.* (scilicet possessor) *manuteneatur in quasipossessione praesentandi, in qua legitime reperitur: ac proinde B. ab ipso praesentatus admittatur, et instituatur ad beneficium, prout admittitur, et instituitur, cum juribus, honoribus, et oneribus quibuscumque, et signanter cum onere &c.* (puta celebrationis Missarum, sive alterius oneris peculiaris beneficio adnexi), *et Bullae ad ejus favorem expediantur, mandatumque de immittendo in possessionem, omneque aliud opportunum, et necessarium relaxetur, prout Bullas expediri, et mandatum relaxari mandatur. Et super deductis per C.* (idest super deductis quoad petitorium) *infra quatuor dies audiantur partes.*

Si vero possessio non legitime probetur, aut implexa, turbida, et obscura sit, aut petitorium sit clarum, perfecto pariter judicio summario, seu *compilato*, ut vulgo dicitur, termino summario, dicitur, quod *citra praejudicium ju-*

jurium partium procedatur ad ulteriora super judicio plenario pro expeditione causae principalis, petitis per A. manutentione, ac institutione B. ab ipso praesentati non obstantibus: ac proinde super hinc inde deductis infra quatuor dies audiantur partes. Et proceditur ad sententiam definitivam, prout in judicio ordinario, juxta modum, quem infra dabo in fine hujus tituli.

Denique animadvertendum dictam quasipossessionem non transferri in heredem ipso jure, quia, cum sit *nudi facti*, requirit *factum positivum apprehensionis*, ut loquitur Cardinalis de Luca (*a*), idest heredi non competit manutentio, nisi postquam ipse quoque possessionem adeptus fuerit: transit vero *quoad effectum juris*, ut loquuntur doctores, idest sufficit ad probandam jurispatronatus pertinentiam, et descendentiam patroni pro institutione praesentati ab ipso. Quare successor, qui jus habet ab ultimo possessore defuncto, probare non tenetur descendentiam a fundatore, ut passim notant doctores ad dictum *cap. consultationibus, de jurep.*, si contendat cum Ordinario contra libertatem beneficii: secus si contendat cum compatrono, qui suam descendentiam probaverit per gradus distinctos, *ex ea convincenti ratione* (ut inquit Cardinalis de Luca (*b*)) *militante praesertim in jurepatronatus gentilitio, vel familiari, quod possessio auctoris, cujus descendentia probatur, sequi potuit ex benevolentia, seu gratificatione possessoris juxta superius dicta, quod praejudicare non potest successoribus,* vel

---

(a) *De jurep. diſc.* 63. *n.* 31.
(b) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 63. *n.* 39.

vel compatronis jure suo venientibus independenter ab admittente, ideoque probatio remanet aequivoca, et non bene concludens. Et sufficit quoque ad possessionem adipiscendam, juxta distinctionem, quam dedi in mea Theorico-Praxi *loc. cit.* inter Interdictum retinendae, et Interdictum adipiscendae possessionis (*a*). Nam *pro manutentione requiritur possessio propria, seu exercitium facti*, ut loquitur Pitonius (*b*).

Itaque heredi competit interdictum adipiscendae possessionis, quo facile conciliari possunt illae, quae videntur dissidere inter se, doctorum opiniones (*c*), aliis affirmantibus, aliis negantibus possessionem patris suffragari posse filiis, ut prior opinio affirmans accipiatur de interdicto adipiscendae possessionis, quod certe competit filio ex possessione patris; posterior negans accipiatur de interdicto retinendae possessionis, quod certe filio non competit ex possessione patris sine apprehensione possessionis, ut Forenses loquuntur, seu sine possessione facti (*d*). Id vero est, si juspatronatus non sit gentilitium, aut familiare, seu agnatitium, in quo sufficit descendentibus pro possessione facti possessio auctorum, a quibus descendunt, *ea ratione* (inquit Pitonius (*e*)), *quod quasipossessio ab auctoribus*

(a) Piton. *diſcept. eccleſ.* 28. *n.* 8. Rota ap. eumd. Piton. *poſt alleg.* 40. *n.* 53. *in fine*. Fargna *P.* 2. *can.* 26. *caſ.* 2. *n.* 3. Rota apud Fargnam *poſt dict. caſ.* 2. *n.* 12.

(b) *Diſcept.* 28. *n.* 8.

(c) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 63. *n.* 31.

(d) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 63. *n.* 31. Rota ap. Fargnam *poſt dict. caſ.* 2. *n.* 19., *et* 20.

(e) *Alleg.* 11. *n.* 20.

bus est acquisita ratione qualitatis familiaris, quae proinde possessio est transitoria ad heredes sanguinis eamdem qualitatem habentes, cum sufficiat familiam esse in quasipossessione ad effectum, ut omnes de ea exsistentes fruantur quasipossessione suorum auctorum, ut ait Rota in Lucana beneficii 21. Martii 1703. §. quod vero, cum seq. coram Bonmem. Muto.

Cui regulae sequentem addit limitationem, nempe *si ille de familia, qui non habet quasipossessionem propriam, nec etiam probaret ejus antecessores in ultimis statibus unquam praesentasse*: et refert ejusdem Rotae decisionem *in Mediolanen. Prioratus super manutentione 15. Junii 1703. §. fin. coram Scotta*. Deinde eamdem limitationem explicat dicens: *puta quando in uno stipite de familia fuisset radicata quasipossessio praesentandi, quae deficeret in altera linea, seu stipite ex firmatis in Asten. beneficii 25. Junii 1708. §. in nihilo, coram R. P. D. Falconerio*. Hinc valere subjicit, etiamsi descendentes ex dicta linea neglexerint praesentare *in una, vel altera vacatione*, ita ut, non obstante dicta negligentia, ad descendentes si non transeat possessio ultima, saltem transeat possessio anterior, modo *non adesset status praescriptus*. Et ejus rei rationem subdit, nempe quia *propter negligentiam praesentandi in una, vel altera vacatione commissam in una linea, in qua ceteroquin ingressum foret juspatronatus, et radicata quasipossessio, non videntur spoliati descendentes ista quasipossessione, licet non ultima, sed anteriori*.

Igitur in jurepatronatus gentilitio, vel familiari, si juspatronatus sit divisum in diversas lineas, prout fieri potest, ut infra dicam, dum loquar de jurepatronatus lineali, possessio saltem suffragatur de-

descendentibus illius lineae, ubi radicata est, quibus proinde competere potest manutentio ad formam *dict. cap. consultationibus*, *de jurep.* . adeo ut contendentibus de jurepatronatus duabus lineis ejusdem familiae, altera super possessorio, altera super petitorio, nisi petitorium sit ita clarum, ut absorbeat possessorium, lineae possidenti competit manutentio, salvis juribus alteri lineae super petitorio in judicio ordinario, ut supra dixi.

Idem jus obtinet in beneficio adnexo dignitati, officio, vel Castro, ut refert Pitonius (*a*) definivisse Rotam Romanam, ipso scribente, *in Florentina Canonicatus* 8. *Maii* 1705. §. *fuit enim*, *coram Lancetta*; quia cum dignitas, officium, Castrum semper exsistant, possessio praesentandi semper transit in successorem, si easdem sui antecessoris qualitates habeat (*b*). Ideo possessio antecessoris transit in successorem non modo *quoad effectum juris*, verum etiam *quoad ipsum factum actualis possessionis*, etiam *sine actuali apprehensione*, ut forenses loquuntur; adeo ut etiam *sine actuali apprehensione* competat successori ex possessione antecessoris Interdictum retinendae possessionis, seu manutentio.

Et idem obtinet in successoribus per actum inter vivos, *tum ex generali regula*, *de qua plene postea observat.* 55. *in princip.*, *et ceteri communiter*, *quod in corporalibus sola cessio habet vim traditionis*, *ac possessionem etiam transfert*; *tum ex cessante dicta* ra-

(c) *Alleg.* 100. *n.* 214. §. *sed bene ultimus status*, Card. de Luca *de jurep. disc.* 63. *n.* 36.
(b) Piton. *loc. cit. n.* 214.

ratione defectus extremorum, *dum possessio viventis extincta non est*, *sed communicabilis*, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*), ad differentiam possessionis mortui, quae extinguitur morte possessoris, *ideoque oportet illam adipisci de novo*, ut inquit ipse Cardinalis de Luca (*b*). Idemque obtinere docet in successoribus per actus ultimae voluntatis (*c*), si adjiciatur *constitutum* cum solita clausula *ex nunc pro tunc*, *et praeambula hora mortis &c.* Verum Fargna (*d*) plures contra adfert Rotae Romanae decisiones, quibus definitum fuit juspatronatus in donatarium ipso jure, seu quoad factum non transferri, sed quoad juris tantum effectum.

CA-

(a) *De jurep. diſc.* 63. *n.* 32., *et* 33.
(b) *Loc. cit. n.* 32.
(c) *Loc. cit. n.* 34.
(d) *P.* 2. *can.* 26. *caſ.* 2. *n.* 4.

CAPUT V.

De natura, seu qualitate juriſpatronatus.

DIcitur natura, seu qualitas juriſpatronatus illa juris nota, quae distinguit alteram speciem juriſpatronatus ab altera. Cum Ordinarii aſſensus, seu erectio, dicatur a doctoribus causa efficiens juspatronatus, sine quo juspatronatus acquiri non potest; ideo ejus natura desumenda est ab ipsa Ordinarii erectione (*a*), ea potiſſima ratione, quia juspatronatus *tamquam spirituale, et spirituali adnexum ex solo consensu Episcopi reducitur ad esse*, ut recte animadvertit Pitonius (*b*). Et est communis doctorum sententia in Sacra Congregatione Concilii, et in Rota Romana indistincte recepta (*c*), tantam erectioni Ordinarii vim inesse, ut ejus *auctorizatio praevaleat fundationi*, seu legibus a fundatore appositis, etiam praeter, vel contra dictas leges a fundatore appositas; adeo ut donec per tres conformes sententias non rescindatur, aut reformetur, semper praevalere debeat fundationi.

Accedente vero aſſensu Ordinarii, potest fundator in limine fundationis apponere, et Ordinarius tenetur admittere quascumque conditiones, etiam a jure exorbitantes, et sacris canonibus, aliis-

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1, *et* 2. *caſ.* 7. *n.* 9., *et* 10. *et P.* 5. *can.* 7. *n.* 1., *et* 2.. Pitonius *alleg.* 37. *n.* 2., *et* 3.

(b) *Loc. cit.*

(c) Pitonius, et Fargna *loc. cit.*

aliisque constitutionibus contrarias (*a*), modo non percutiant, seu destruant substantiam beneficii, ut loquuntur doctores, et ejus naturae adversentur. Quare appositae hujusmodi conditiones habentur pro non scriptis tamquam impossibiles, ut verbis utar Justiniani *Institut. de hered. instit.* §. *impossibilis*, inspecta natura beneficii, et illicitae, quae de jure vitiantur, et non vitiant, si fundatio fiat per actum ultimae voluntatis (*b*); prout de conditionibus sive impossibilibus, sive illicitis scripsit Justinianus in *dict.* §. *impossibilis* 10. *Instit. de hered. instit.*, et Ulpianus *in l. obtinuit* 3. *ff. de condit. et demonstrat.*

Utrum vero vitientur, vel vitient, si fundatio fiat per actum inter vivos, vide Gagliardum *de jurep. cap. 6. n.* 35., *et* 36., ubi relatis contrariis doctorum sententiis late hanc quaestionem pertractat. Illicitae, aut turpes conditiones sunt: ecclesiam ab ordinaria Episcopi jurisdictione eximere, nisi jurisdictioni Metropolitani, aut S. Sedis Apostolicae subjiciatur, vel ab Episcopi institutione: liberam tribuere beneficiato facultatem disponendi de fructibus beneficii, prout de patrimonialibus: institui posse ad beneficium, etiam simplex, laicum, aut clericum indignum, aut non idoneum, et si-

(a) *Can Eleutherius cauſ.* 18. *q.* 2.. Pitonius *alleg.* 80. *n.* 6, *et alleg.* 100. *in ſupplem. n.* 30. 31., *et* 38.. Card. de Luca *de jurep. diſc.* 68. *n.* 9., *et diſc.* 93. *n.* 7.. Fargna *P.* 2. *can.* 27. *caſ.* 3. *n.* 1.

(b) Piton. *alleg.* 80. *n.* 8. §. *neque*. Card. de Luca *de teſt. diſc.* 73. *n.* 2., *et* 3. *et de jurep. diſc.* 93. *n.* 7. §. *quatenus vero*.

et sine examine, si beneficium sit curatum, quas late recenset ipse Gagliardus *loc. cit. n.* 26. *ad* 37., et Pitonius *alleg.* 24. *n.* 10., *alleg.* 54. *n.* 18., *alleg.* 100. *n.* 34., *et discept.* 22. *n.* 42., *et discept.* 25. *n.* 11.. Quae autem licitae sint, vide eumdem Gagliardum *loc. cit. n.* 8. *ad* 26., et Fargnam *part.* 2. *can.* 27. *cas.* 3., et Rotam apud eumdem Fargnam post *dict. cas.* 3.. De iis enim, cum numquam, aut rarissime in foro audiantur, non est hic agendi locus.

De illa dumtaxat conditione opportune hic agere existimavi, quae in foro frequentior est, et pro qua non semel mihi obtigit scribere; num scilicet licita sit conditio, vel potius essentiae, seu naturae beneficii adversetur, ut institui possit praesentatus extraneus ad beneficium ea lege, ut, exsistente clerico de familia fundatoris, ipse a beneficio removeatur, et instituatur clericus de familia; vel sine institutione possit interim beneficium vacare, ejusque onera adimpleri per aliquam ecclesiam, donec exsiſtat clericus de sua, vel aliena familia.

Huic conditioni videtur obstare, quod supra dixi in I. Parte hujus operis *cap.* 1. *de defin. de beneficior.*; nempe quod ad essentiam beneficii sit necessaria perpetuitas, cum nullum de jure dicatur verum beneficium, cui praeter Ordinarii erectionem perpetuitas non accesserit juxta textum in *cit cap. consultationibus, de jurep.* Verum doctores duas perpetuitatis species distinguunt; alteram veram, seu certam, alteram, quam *aptitudinalem* appellant: sicut jure civili potest aliquid esse perpetuum, licet non sit assiduum, ut animadvertit Cujacius

cius (*a*). Ad beneficii autem essentiam perpetuitatem veram, seu certam, non esse necessariam ipsi autumant, quia institutio licet sine certo tempore facta, semper dicitur perpetua, cum beneficium per institutum perpetuo retineri possit, si beneficiatus, seu institutus a beneficii possessione non removeatur. *Nam non confertur* (inquit Garzias (*b*)) *ad tempus certum, ac definitum; hoc enim cum beneficii natura, et ratione pugnaret: sed ad tempus incertum, et infinitum, scilicet quoad illud revocabit Superior, quod quidem beneficii rationem non tollit, aut minuit. Perpetuum enim in jure dicitur, quod potest esse perpetuum, et quod certo tempore non determinatur:* modo (ait Pitonius (*c*)) verba fundationis non referantur ad Episcopum, seu ad Ordinarium instituentem, prout ipse recedendo a contraria sententia, quam tamquam causae patronus ad ejusdem causae opportunitatem defendebat, loquens in sensu veritatis, ut ait, late docet (*d*). *Ego autem* (inquit ipse) *reflectendo ad veritatem circa primum fundamentum, credo tenendum esse pro validitate conditionis ea ratione, quod perpetuum dicitur etiam illud, quod potest esse perpetuum, licet possit etiam esse temporale, per doctrinam Felini in cap. ex litteris, de const. n. 9., et Rotam decis. 1. n. 4. de praebend. in antiq., ubi loquuntur de commenda facta per Papam ad incertum tem-*

(a) *In lib.* 11. *observat. cap.* 3. *tom.* 3. *pag.* 296. *lit. A.*
(b) Garzias *de benefic. P.* 1. *cap.* 2. *n.* 79.
(c) *Alleg.* 24. *n.* 33.
(d) *Loc. cit. n.* 33. *in fine.*

tempus, donec assecutus fuerit possessionem Episcopatus, quam Rota dicit videri perpetuam propter dubium eventum conditionis, quae potest non exsistere: et propter hoc censeo Ordinarium non teneri institutionem dare limitatam, aut conditionatam, sed illam facere debere simpliciter, et indeterminate. Et ita concludo, non obstante doctrina Sanchez, de qua supra num. 11.

Deinde respondens objectioni supra allatae ait: *Omnia autem per me superius adducta procedunt in casu, quo verba fundatoris directa sint ad collatorem, ordinando, quod instituere debeat ad tempus, et sub conditione; unde sequitur, quod in praesenti casu nulla fuisset lex fundationis, si fundator dixisset, quod in defectum masculorum de domo Stephania beneficium conferendum esset clerico de linea faeminina temporaliter, et conditionaliter, donec et quousque superveniret clericus de domo Stephania, cum collatio, seu institutio sub conditione, vel ad tempus fieri non possit, nisi per Summum Pontificem, tamquam contra substantiam beneficii. Sed quia fundator non direxerat verba ad collatorem, neque apposuerat conditionem in collatione, seu institutione facienda, idcirco conditio valuit, quia non impediebat collationem beneficii faciendam simpliciter, et indeterminate, licet ad instar beneficii manualis adveniente conditione resolvi possit.*

Verum neque ista opinio mihi arridet, nisi accipiatur *cum sacra anchora distinctionis*, ut verbis utar Cardinalis de Luca, inter casum, et casum, seu inter alteram speciem beneficii, et alteram. Aut enim beneficium est curatum, vel residentiam requirens, et tunc certum est conditionem esse nedum naturae beneficii destructivam, sed et manifeste illicitam, ac turpem, cum in eodem bene-

neficio implicite insit necessitas, seu obligatio praesentiae talis beneficiati, qui nequeat a beneficio amoveri: aut agitur de beneficio simplici, et tunc conditio subsistit. Igitur *punctus ad rem esse videtur in applicatione . . . ., atque in hoc advertebam erroneum videri procedere cum generalitatibus, et in abstracto . . . . Aut enim agitur de ecclesia Cathedrali, vel Parochiali, aut alias tali, quae indigeat sponso, et rectore ob sibi annexam curam, et administrationem Sacramentalem, vel jurisdictionalem, et tunc versari dicimur in posteriori parte: aut vero de ecclesia simplici constructa ad solam devotionem, et commoditatem pro sacrorum, et divinorum celebratione, adeo ut stare posſit, atque de facto per prius steterit sine sponso, et rectore, et tunc versari dicimur in priori parte*, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*).

Hujus tamen opinio intelligenda est de conditione, ut beneficium vacare possit, donec exsistat clericus de familia, non de conditione, ut vacare possit arbitrio patronorum, prout dicam infra, Quin et pro ecclesia Parochiali valere conditionem, ut Parochus removeri possit arbitrio patroni, docet Pitonius (*b*), modo assensus Apostolicus accedat, ut recte docet Fagnanus (*c*), aliique doctores scribendo apposite ad *cap. unic. de capellis monach. in VI.*: ubi Bonifacius VIII. decrevit, quod Parochi, etiam in ecclesiis Regularibus ad praesentationem Monachorum instituti, *cum debeant esse perpetui, consuetudine vel statuto quovis contra-*

(a) *De jureþ. diſc.* 93. *n.* 7. *in fin.*
(b) *Alleg.* 100. *in ſupplem. n.* 30., *et* 38.
(c) *In cap. ex parte, de offic. Vicarii n.* 9. *et ſeq*

rio non obstante, ab eisdem nequeant ecclesiis, nisi per Episcopos, et ex causa rationabili amoveri; idest ex ejusdem Parochi culpa, quae levis non sit, ut subjicit Glossa ad *id. cap. verb. causa rationabili, litt. G.*

Hinc patet conditionem vacationis beneficii, donec clericus de familia exsistat habilis ad beneficium obtinendum, subsistere, modo aliquis substituatur, qui ejusdem beneficii bona administret, et onera ferat, cum neque in isto casu dici possit revera, et in totum vacari beneficium, ita ut salva non remaneat beneficii perpetuitas; non secus ac de Commendis, et Bajulatibus Religionis S. Stephani cum hac lege, ut diu vacare possint sub Œconomi administratione, dicitur apud eundem Cardinalem de Luca (*a*). Quod et ego sustinui scribens pro ecclesia Parochiali S. Angeli dictae ad *Serpentara* Civitatis Airolae dioecesis S. Agathae Gothorum contra familiam Supino ejusdem Civitatis super beneficio in eadem Civitate exsistente sub titulo S. Mariae de Monte Carmelo in duabus allegationibus editis die 25. Decembris anni 1763. et 10. Maii anni 1764. Accedit insuper, quod attenta obligatione imposita ecclesiae, seu ejus Rectori, ferendi eadem onera, quae ferre deberet beneficiatus; conditio vacationis transit in causam fundatori aeque gratam (*b*).

Valde autem ab isto casu differens est casus cujusdam *Florentinae jurispatronatus* relatus per Fargnam (*c*), super qua scribens idem Fargna rejicit

(a) *Loc. cit. in fine.*
(b) Lambertin. *loc. cit.*
(c) *P. 2. can. 27. caſ. 6. n. 4., et 5.*

tit conditionem appositam, uti expresse contrariam essentiae, seu naturae ejusdem beneficii, et solum dubitando admittit aliquam suspensionem parvi temporis, ut ipse subjicit. Ibi enim agebatur de vacatione remissa ad arbitrium patronorum, et de altera conditione adjuncta, ut interim proventus beneficii perciperentur ab ipsis, non secus ac si vocati essent per fideicommissum. Itaque tum ex tempore incerto, quod utpote ad patronorum arbitrium remissum diu vacationem protrahere poterat ob aviditatem exigendi fructus beneficii, tum maxime, quia hujusmodi exactio, qua patroni laici sibi vindicant fructus rei spiritualis, expresse reprobata est a sacris Canonibus, et praesertim a S. Conc. Trid. (*a*), conditio nullo modo erat admittenda: et nihilominus subdit Auctor (*b*) dubium non fuisse decisum per S. Congregationem Concilii.

Allegat deinde pro sua sententia Pitonii *disceptation. ecclesiastic.* 22. *n.* 40., quae tamen loquitur de eadem conditione dictae *Florentinae jurispatronatus*, seu de pacto apposito, ut *Patroni non arctarentur termino juris ad praesentandum, sed esset in eorum libera facultate non praesentare pro quocumque tempore sibi placito*, ut ipse ait (*c*). Et respondet contra Cardinalem de Luca, qui sustinet validitatem pacti cum distinctione supra allata (*d*), quod *pactum recipit interpretationem juris arbitrio boni*

(a) *Seſſ.* 22. *de ref. cap.* 11.
(b) *Loc. cit. n.* 5.
(c) *N.* 39. *in fine*, *et* 40.
(d) *De jurep. diſc.* 93. *n.* 7. §. *panctus vero*.

boni viri , seu Ordinarii , qui debebit elapso quadrimestri praefigere Patronis terminum longum pro suo arbitrio conformem , et quanto plus fieri potest , conciliabilem cum pacto praedicto , addita poena devolutionis liberae per ejus lapsum . Ante autem praefixionem hujus termini , licet capella diu vacasset , non posset impetrari valide in Dataria ob lapsum temporis ad praesentandum , quia a poena devolutionis excusatur Patronus ex credulitate , quod pactum praedictum concedat sibi in tempus quodcumque differre praesentationem, prout quoad dictam impetrationem in Dataria animadvertit ipse Cardinalis de Luca (*a*). Neque aliter sensisse Pitonium satis superque patet ex ejus verbis supra exscriptis.

Illa autem verba *in limine fundationis* , in quo fundator apponere potest hujusmodi conditiones , idem sonant , ac actum fundationis, seu illud temporis spatium , quod intercedit inter voluntatem fundandi beneficium , nempe construendi , et dotandi ecclesiam , et assensum Ordinarii , nempe inter fundationem factam a fundatore , et erectionem factam ab Ordinario , post quam , cum completa , et perfecta tunc dicatur fundatio , non licet conditiones addere , aut mutare fundationem : sicut *perfecta donatio conditiones postea non capit* , ut rescripserunt Imp. Diocletianus et Maximianus *in l. 4. cod. de donat.*, *quae sub modo, vel conditione , vel certo tempore conficiuntur . Quare* (subdiderunt ipsi) *si pater tuus donatione facta quasdam post aliquantulum temporis fecisse conditiones videatur , officere hoc nepotibus ejus , fratris tui filiis , mi-*

(a) *Loc. cit. n. 7. §. 1.*

minime posse non dubium est. Secus si in ipso fundationis limine de ejusdem Ordinarii assensu jus sibi fundator reservaverit disponendi de jurepatronatus in testamento, quia *stante reservatione facultatis adjecta de consensu Ordinarii, potest ex intervallo fundator adjicere conditiones, etiam juri contrarias, cum tali casu dicantur appositae in limine fundationis*; ut tradit Pitonius (*a*) contra Adden. ad Pamphil. (*b*); etiamsi conditio sit, ut beneficium de jurepatronatus ecclesiastico immune sit a reservationibus Apostolicis, modo fundatio de bonis patrimonialibus facta sit; si fundator sit ecclesiasticus, adeo ut *uti laicus det legem rei suae*, ut inquit idem Pitonius (*c*); et in pluribus casibus obtinuisse refert, in quibus scripsit tamquam causarum patronus: eo vel maxime, quia hujusmodi conditio non est contra substantiam, seu naturam beneficii, ut recte animadvertit Cardinalis de Luca (*d*).

Et sicut conditiones juri contrarias fundator apponere potest in limine fundationis de assensu Ordinarii; ita extra limen fundationis apponere potest conditiones, quae neque juri, neque legi fundationis contrariae sunt, puta ut institutio fiat praevio concursu (*e*): aut explicare, et declarare legem in limine fundationis appositam (*f*): aut il-

(a) *Alleg.* 82. *n.* 8., *et discept. eccles.* 25. *n.* 9.
(b) *Decis.* 54. *n.* 8. *vers. limitatur modo*.
(c) *Diſc. eccleſ.* 25. *n.* 8.
(d) *De jurep. diſc.* 65. *n.* 40., *et diſc.* 93. *n.* 7. §. *quatenus vero*.
(e) Piton. *alleg.* 95. *n.* 23.
(f) Piton. *alleg.* 82. *n.* 12., *et alleg.* 100. *n.* 677. Card. de Luca *de jurep. diſc.* 16. *n.* 5.

illam de consensu Ordinarii mutare in favorem eccclesiae (*a*). Numquam vero possunt successores fundatoris legem fundationis mutare, quocumque jure juspatronatus ad ipsos pertineat, etiam hereditario, si mutatio in jurepatronatus hereditario ecclesiae, aut aliis praejudicium inferat (*b*); licet heredes ejus, qui legem fundationis mutavit, nequeant factum defuncti impugnare, ut supra dixi: *quia si poterat in praejudicium ejus heredum de ipso jurepatronatus in genere disponere, illud ecclesiae remittendo, vel aliis donando, aut legando; multo magis potuit illud heredibus relinquere in aliqua parte a suo primaevo statu alteratum ex indubitato principio, quod numquam impugnari potest judicium ejus, qui dedit minus, dum in ejus libertate erat, nihil dare*, ut inquit Cardinalis de Luca (*c*). Quod tamen circa mutationem jurispatronatus hereditarii quomodo intelligendum sit, infra dicam, dum de eodem jurepatronatus hereditario loquar.

Observantia autem non mutat legem claram fundationis, nisi sit praescriptiva, ut loquuntur doctores, et antea dixi loquens de praescriptione (*d*); sed tantum interpretatur, si dubia sit, etiamsi habeatur ex actibus nullis, quae nullum effectum habuerint (*e*). Itaque dubia lex fundationis explicatur, et declaratur ab ipso fundatore, adeo

---

(a) Piton. *alleg.* 23. *n.* 6. *in fine*.
(b) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 18. *n.* 4.. Piton. *alleg.* 62. *n.* 29.
(c) *De jurep. diſc.* 13. *n.* 4. §. *ſecus autem*.
(d) Piton. *alleg.* 17. *n.* 9.
(e) Piton. *alleg.* 95. *n.* 8.

adeo ut ipſum factum fundatoris in caſibus ambiguis, seu ejus obſervantia interpretatur legem fundationis (*a*). Ex qua quidem obſervantia in dubio deſumitur ipſa natura, seu qualitas juriſpatronatus, prout de eadem obſervantia, seu conſuetudine, quod sit *optima legum interpres*, ſcripſit Calliſtratus in *l.* 37. *ff. de Leg. Senatusque Conſult. et longa conſuetud.*; praeſertim ſi fuerit canonizata per res judicatas, nempe ſi *etiam contradicto aliquando judicio conſuetudo firmata ſit*, ut ſcripſit Ulpianus in *l.* 34. *ff. eod. tit.* (*b*).

Neque Ordinarii aſſenſus obſtat, ut fundator etiam poſt aſſenſum poſſit ſuas leges in fundatione appoſitas de ejuſdem Ordinarii aſſenſu mutare, ſi per mutationem hujuſmodi nulli inferatur praejudicium; puta praeſentando clericum non habentem qualitates praeſcriptas in fundatione, aut abrogando onera, aliave requiſita in dicta fundatione, aut patronatum hereditarium convertendo in gentilitium, aut familiare, ſeu agnatitium, aut activo juripatronatus paſſivum addendo, quod et a ſucceſſoribus in jurepatronatus hereditario fieri poteſt (*c*). Ante vero aſſenſum Ordinarii poteſt ſemper fundationis legem mutare, ſuamque antecedentem voluntatem revocare, modo jus quaeſitum non fuerit aliis, puta eccleſiae, per rerum donationem irrevocabilem inter vivos factam, aut per

(a) Piton. *alleg.* 68. *n.* 5.
(b) Pitonius *alleg.* 41. *num.* 28. *in fine*, *et* 29.
(c) Vivian. *lib.* 14. *cap.* 4. *n.* 14.. Card. de Luca *de jurep. diſc.* 18.. Fargna *P.* 2. *can.* 1., *et* 2. *caſ.* 5. *n.* 1.

per reservationem ipsius jurispatronatus factam certae alicui personae, vel familiae cum pacto non revocandi, seu numquam contraveniendi (*a*). Utrum autem dicta conditio perpetuitatis *aptitudinalis* apponi possit post legitime factam erectionem beneficii, vel ejusdem beneficii statum, et naturam mutet; non levis est controversia inter doctores, quam vide apud Fargnam *P.* 2. *can.* 27. *cas.* 3. *n.* 3., et Pitonium *discept. eccles.* 25. *n.* 9.

CAPUT VI.

De diversa specie jurispatronatus.

PAtronorum jura circa juspatronatus tam quoad ejus exercitium, quam quoad successionem diversa sunt pro diversa specie jurispatronatus: ideo de ea agere oportet, antequam de exercitio jurispatronatus, et patronorum successione verba faciam. Primo juspatronatus dividitur in *ecclesiasticum*, *laicum*, et *mixtum*. Secundo dividitur *in reale*, et *personale*. Tertio dividitur in *Regium*, *feudale*, & *privatum*. Quarto dividitur in *hereditarium*, *gentilitium*, *familiare*, seu *agnatitium*, et *mixtum*, seu gentilitium, aut familiare simul, ac hereditarium: quod si sit divisum per lineas, dicitur *lineale*; si reservatum sit ad formam primogeniturae, dicitur *primogeniale*. Denique dividitur in *activum*, et *passivum*. De singulis singillatim dicam cum omnibus suis distinctionibus, am-

(a) Piton. *alleg.* 40. *n.* 22.

ampliationibus, limitationibus, et differentiis pro clariore hujus satis implexae materiae intelligentia.

CAPUT VII.

De jurepatronatus ecclesiastico.

NUlla in Canonibus antiquis, vel in Novellis Justiniani nota est differentia inter patronatum ecclesiasticum, et laicum. Et animadvertunt interpretes communiter, pluribus saeculis usque ad tempus Œcumenici Concilii VIII. circa finem saeculi *IX*. unius dumtaxat generis juspatronatus fuisse; adeo ut distinctio inter juspatronatus eccclesiasticum, et laicum, et illae variae, ac notabiles, quae hodie intercedunt, differentiae inter unum, et alterum juspatronatus, sensim labentibus saeculis potius consuetudine, quam canone invaluerint (*a*); ut proinde necesse sit scire ad quam speciem unum, vel alterum juspatronatus referendum sit.

Ad speciem jurispatronatus ecclesiastici refertur illud, quod competit personae sive ecclesiasticae, sive laicae, puta Abbatissae, ratione tituli ecclesiastici, seu ecclesiae. Nota illa verba *ratione ecclesiae*, quae praeseferunt veram distinctionem inter juspatronatus ecclesiasticum, et laicum, quia potest juspatronatus competere personis etiam eccle-sia-

(a) Wan-Espen. *tom.* 3. *part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 2. *n.* 1. 2., *et* 3.

erant Deo dicati , et ecclesiae . Ideo enim dicitur laicum juspatronatus, etiamsi ab ecclesiasticis processerit, quia praesumitur de bonis patrimonialibus fundatum, et dotatum, seu de bonis propriis: sin vero fundatum, et dotatum fuerit de bonis ecclesiasticis, seu non propriis, deest titulus sufficiens ad acquirendum juspatronatus.

Quod igitur doctores dicunt, nempe quod acquisitum juspatronatus ex proventibus etiam ecclesiasticis dicitur laicum, intelligendum est, ut ego opinor, et non obscure eruitur ex iis, quae tradit Pitonius (*a*) in dubio, num sit acquisitum ex proventibus ecclesiasticis congruae clerici sustentationi necessariis, an ex superfluis; sicut in dubio, num juspatronatus ecclesiasticum, an laicum sit, laicum censeri tradit de Roye (*b*) juxta veriorem, ut ipse ait, sententiam. Quia sicut in dubio praesumtio est pro qualitate laica, si quis se clericum esse non dicat, quia clerici non nascuntur, sed fiunt; ita laica in dubio praesumuntur bona, etiam a clerico possessa, si non constet ea esse ecclesiastica.

Verum juspatronatus fundatum ab ecclesia bonis suis ecclesiasticum esse dicitur, ut notat ipse de Roye (*c*). Hinc juspatronatus fundatum ex bonis partim ecclesiasticis, partim profanis mixtum dicitur a doctoribus. Seclusa tamen hac exceptione, illud certum est, et praxis declarat, quam testatur

(a) *Diſcept. eccleſ.* 25. *n.* 18.
(b) *In prolegom. cap.* 6. §. *ſed quaeritur.*
(c) *Loc. cit.* §. *invaluit ergo.*

tur Wan-Espenius (*a*), ut illud solum juspatronatus pro ecclesiastico habeatur, quod intuitu ecclesiae, seu dignitatis, vel tituli ecclesiastici competit, et ecclesiasticum esse probetur, statim atque probatur competere titulo ecclesiastico praedicto, sive fundatio ab ecclesiastico procedat, sive a laico, et in ecclesiam, Capitulum, Collegium postea translatum, aut dignitati, vel beneficio ecclesiastico adnexum, prout docent unanimi sententia Canonistae (*b*), et non obscure colligitur ex *cap. unic. de jurepatronatus, in VI.*, ubi Bonifacius VIII. concedit ecclesiae, vel monasterio, in quod, sive quam juspatronatus a laico translatum sit, idem semestre, quod de jure conceditur patrono ecclesiastico ad praesentandum, dummodo non obstet lex fundationis, cum tunc primaevam naturam non amittat (*c*), sive expressa, sive tacita sit.

Et licet non desint doctores, qui dicunt jurispatronatus qualitatem tam ex qualitate bonorum desumendam esse, quam ex qualitate personarum, quibus reservatum fuit, ita ut sit ecclesiasticum, si fundatum, aut dotatum sit ex bonis ecclesiasticis, et ecclesiasticis personis simul reservatum sit (*d*): omnes tamen dicunt, quod praecipue inspi-

---

(a) *Tom.* 3. *part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 2. *n.* 7. §. *huic*.

(b) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 7.

(c) Piton. *alleg.* 62. *n.* 4. *et discept. eccleſ.* 25. *n.* 21.. Rota *poſt dict. diſcept. n.* 47.. Rota ap. eumd. Piton. *diſcept. eccleſ.* 25. *n.* 21., *et* 47.

(d) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 59. *n.* 1.. Fargna *P.* 6. *can.* 23. *caſ.* 3. *n.* 1.

spicienda est qualitas personae; adeo ut possessum juspatronatus a patronis ecclesiasticis, etiamsi non constet fuisse fundatum, aut dotatum de bònis ecclesiasticis, semper ecclesiasticum judicandum sit (*a*), aut etiam possessum ab ecclesia gubernata a personis laicis, quia semper dicitur unitum rei spirituali, ut nonnulli docent (*b*) contra Covarruviam, qui censet juspatronatus ad jus administratorum ecclesiarum pertinens, etiam causa pietatis fundatum, et ecclesiae adnexum, esse laicum, et contra Vivianum (*c*), qui solum excepit confraternitatem ab Episcopis adprobatam, et alicui ecclesiae adfixam.

Utrum idem obtineat post novissimum Concordatum anni 1741., quo in *cap*. 5. §. 1. statutum fuit, ut ecclesiae gubernatae a laicis sint exemtae a jurisdictione Ordinarii, sola excepta visitatione *quoad spiritualia tantum*, primus inter recentiores scriptores post dictum novissimum Concordatum animadvertit Gagliardus (*d*), qui docet juspatronatus esse laicum, cum jure dicti Concordati ecclesiae a laicis gubernatae Episcopo subjaceant quoad spiritualia tantum. Laicum quoque dicitur juspatronatus, si sit reale, aut adnexum rei profanae, puta feudo licet ab ecclesia, vel titulo pariter ecclesiastico possesso, quia uti accessorium sequitur na-

---

(a) Card. de Luca *loc. cit. n.* 12., *et* 13.. Fargna *loc. cit. caſ.* 3. *n.* 2.. Vivian. *de jurep. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 9.
(b) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 27. *caſ.* 2. *n.* 50.
(c) *Lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 6., *et* 7.
(d) *De jurep. cap.* 13. *n.* 16.

naturam principalis, seu feudi, ut acriter contendit Pitonius (*a*), suamque sententiam comprobat Rotae decisionibus, rejecta contraria ejusdem Rotae decisione in *Aprutina beneficii* 19. *Junii* 1705.

Si vero juspatronatus non sit ecclesiae reservatum, sed confraternitati, seu congregationi laicae, ita statuunt doctores, vel eorum magis communis, et recepta opinio (*b*), Rotae decisionibus confirmata (*c*). Aut confraternitas est laica, et juspatronatus laicum dicitur, quia recipit suam qualitatem ex qualitate componentium confraternitatem, ut eorumdem doctorum phrasi loquar, vel ut loquitur idem Covarruvias, quia ad ecclesiam non pertinet, aut ad dignitatem ecclesiasticam, quamvis uti habens mixturam rei spiritualis potius mixtum dici deberet, ut inquit Wan-Espenius (*d*). Et sic fuisse judicatum de jurepatronatus spectante ad Universitatem Parisiensem refert Renatus Choppinus (*e*). Quod certe indubitatum est post dictum novissimum Concordatum, ut recte animadvertit idem Gagliardus (*f*). Aut confraternitas est ecclesiastica, etiamsi administratores sint laici, et tunc dicendum, esse ecclesiasticum, quia confraternitas repraesentat coetum ecclesiasticum. Itaque in specie *Hildestimen. Canonicatus* 16. *Martii* 1716. cor-

---

(a) *Alleg.* 19. *n.* 19.
(b) Ap. Fargnam *part.* 4. *can.* 23. *caſ.* 3. *n.* 4., *et ſeq.*
(c) Ap. Fargnam *poſt dict. caſ.* 3.
(d) *Loc. cit. cap.* 2. *n.* 28. 29., *et* 30.
(e) *Lib.* 3. *de demanio regis tit.* 27. *n.* 12.
(f) *Cit. cap.* 13.

coram Crispo allata per Fargnam (*a*), auctis dotibus quinque Canonicatuum ecclesiae S. Mariae Magdalenae in Cartallo, et tribus aliis ex integro fundatis in eadem ecclesia ex pia largitione Conolphi perpetui Vicarii ecclesiae Cathedralis Hildestimensis, nempe ex eleemosynis, reservato jure praesentandi primum dicto Conolpho fundatori, et deinde per turnum clericis, et laicis ab Episcopo, et Canonicis pro tempore assumendis ad officium advocatorum, seu administratorum bonorum Capituli, juspatronatus per Rotam declaratum fuit ecclesiasticum, quia jus praesentandi ipsis non uti laicis, sed tamquam coetum ecclesiasticum repraesentantibus, seu ipsi coetui ecclesiastico reservatum censebatur, inspecta etiam qualitate ecclesiastica eligentium dictos administratores, qui erant Canonici dictae ecclesiae.

Electio autem non ad solum monasterii, collegii, sive alterius ecclesiasticae Universitatis Praelatum absolute pertinet, sed consensus Capituli requiritur. Etenim *in praesentationibus Praelatorum* (inquit Caelestinus III. in *cap. 6. de iis, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli*) *intelligi debet, quod fiunt de collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem . . ., nisi ex antiqua, et approbata consuetudine, vel concessa libertate* (scilicet privilegio) *aliqui eorum* (idest Praelatorum) *probaverint, commissi sibi collegii non debere in ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus requiri consensum: hinc nomine ecclesiae non Episcopus, vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum,*

(a) P. 6. *can.* 23. *post caſ.* 3.

sed communis congregatio intelligitur, ut inquit Alexander III. in *cap.* 12. *de testam.*. Quod et in praesentatione vim obtinere contendit de Roye (*a*), et in praxi receptum est. *Sicut enim* (inquit ipse (*b*)) *irrita est electio, quae facta est iis contemtis, qui jus eligendi habent &c.* (prout patet ex *cap.* 28. et *cap.* 42. *de elect. et elect. potestat.*): *ita et ad praesentationem faciendam illi omnes vocandi sunt, qui habent jus praesentandi; nam quibusdam non vocatis ea est inutilis*. Tum vero ad praelatum, seu abbatem praesentationem pertinere innuit *cap.* 21. *de rescript.*, cum ad ipsum tantum ecclesia pertineat.

Sicut unius generis juspatronatus fuit usque ad saeculum VIII., ut supra innui; ita nulla differentia erat in praesentando inter patronos ecclesiasticos, et patronos laicos. Imo nullum patronis praefinitum fuit tempus ad praesentandum, quod non ante Concilium Lateranense sub Alexandro III. praefinitum fuisse credit Joannes Andreas (*c*), cui consentit Franciscus Florens (*d*). Verum ante Concilium Lateranense in Synodo Romana celebrata anno 826. sub Eugenio II. *can.* 24. aliquem praefinitum fuisse terminum, non ultra tamen tres menses, autumat de Roye (*e*). Decernitur enim in *dict. can.* 24., ut si *patroni admoniti presbyteros intra trium mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus absque neglectu Prin-*cipi

(a) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 35. §. *addit.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *Ad cap.* 1. *de jurep. in VI.*
(d) *Ad cap.* 1. *de jurep. tom.* 2. *pag.* 258., *et ſeq.*
(e) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 28. §. 1.

cipi ſuggerat, quatenus ejus emendetur ſententia. Unde orta eſt diſtinctio termini ad praeſentandum in jurepatronatus laico, et jurepatronatus eccleſiaſtico.

Nam cum idem fuerit repetitum a *can.* 17. Concilii Lateranenſis ſub Alexandro III., crediderunt antiqui canonum interpretes illum terminum de jurepatronatus laico accipiendum eſſe (*a*). Et cum in nonnullis hujus canonis editionibus pro *tribus menſibus* legeretur *quatuor*, uti patet ex *cap.* 3. *de jurep.*, et pro collatione beneficiorum fuerit ab eodem Concilio praefinitus terminus ſex menſium, uti refertur in *cap.* 2. *de conceſſ. praebend. et eccleſ. non vacantis*, quod ab Alexandro III. in *cap.* 22. *de jurep.* fuit ad juspatronatus ſine ulla diſtinctione jurispatronatus eccleſiaſtici, et jurispatronatus laici extenſum, decretalium commentatores, ut conciliarent hoc *cap.* 22. *cum cap.* 3. *de jurep.*, alterum de jurepatronatus eccleſiaſtico, alterum de jurepatronatus laico interpretati ſunt. Unde orta eſt una ex illis notabilibus differentiis, quas ſupra innui, inter juspatronatus, et patronum eccleſiaſticum, et juspatronatus, et patronum laicum, quae probata fuit a Bonifacio VIII. in *dict. cap. unic. de jurep. in VI.*, ut alter ſex menſes, alter quatuor tantum ad praeſentandum haberet. Praeſentatio autem, ſi ad plures, puta ad collegium, aut confraternitatem, pertinet, fit in capita, prout de jurepatronatus gentilitio, aut familiari (*b*), de quo latius infra dicam.

(a) Wan-Eſpen. *tom.* 3. *part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 11., *et* 12.

(b) Vivian. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 74.

Altera aeque notabilis differentia est, ut patronus laicus in termino sibi concesso ad praesentandum possit variare, seu plures successive, et cumulative praesentare, ut infra dicam, dum loquar de jurepatronatus laico; ecclesiasticus vero unum dumtaxat praesentare possit. Etenim proposita quaestione in *cap.* 24. *de jurep.*: *Si patronus clericum idoneum Episcopo praesentaverit, et postulaverit postmodum, eo non refutato, alium aeque idoneum in eadem ecclesia admitti, quis eorum alteri praeferatur?* Lucius III. respondit: *Judicio Episcopi credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui jus competit praesentandi: verum si collegium, aut ecclesiastica persona praesentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur.* Hujus differentiae rationem refert Innocentius in *dict. cap.* 24. *de jurep.*, nempe quod *idcirco clericalis variatio est interdicta, quia illorum praesentatio vicem habet electionis.*

Alia differentia est inter patronum ecclesiasticum, et laicum, quod patronus ecclesiasticus praesentando indignum, aut inhabilem amittit pro illa vice jus praesentandi, adeo ut collatio devolvatur ad Ordinarium, nisi probabilem adferat ignorantiam indignitatis, aut inhabilitatis praesentati: patronus vero laicus, etiamsi scienter inhabilem, aut indignum praesentaverit, non privatur jure praesentandi, sed admittitur ad praesentandum alium idoneum, ut communiter tradunt Canonistae ad *cap.* 4. *de jurep.*, intra tamen quadrimestre a jure concessum (a); quidquid olim obtinue-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 23., *et* 24. Fargna *P.* 2. *can.* 3. *cas.* 3. *n.* 6., *et* 11. Rota ap. Fargnam *post dict. cas.* 3.

nuerit per jus vetus, et per Novellam 23. Justiniani *cap.* 18., ex quibus deducit de Roye (*a*), *omnes olim patronos eodem jure habitos fuisse*. Cujus quidem differentiae rationem desumit idem de Roye (*b*) a facultate variandi, quam patronus laicus habet, non autem ecclesiasticus.

Nulla autem inter patronum ecclesiasticum, et laicum intercedit differentia quoad eorum negligentiam in praesentando in termino ipsis a jure concesso. Nam conveniunt omnes collationem tunc ad Episcopum pertinere, et jure quidem *ordinario* non *devoluto*, ut docet praesertim Wan-Espenius (*c*) post Molinaeum (*d*), qui reprobat contrariam consuetudinem Normannicam, uti juri communi adversam in *can. omnes*, *caus.* 16. *qu.* 7., quo omnes ecclesiae sunt in ordinatione Episcopi. Itaque lapso termino de jure concesso ad praesentandum, servatur jus commune, ut praescribitur in *cap.* 22. *de jurep.*, *et cap. de supp. neglig. Praelat.*; ubi conceditur Episcopo, lapso dicto termino, omni appellatione remota, *ecclesiam ordinare*.

Verumtamen si Episcopus infra sex menses sibi a jure concessos ad conferenda beneficia beneficium non conferat, collatio spectat ad Metropolitanum, non jure *ordinario*, sed *devoluto*. Cujus quidem diversae collationis, seu provisionis differentiam desumit ipse de Roye (*e*) ex jurisdictione

---

(a) *In commen. ad cap.* 24. *de jurep.* §. *ult.*
(b) *Loc. cit.*
(c) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 28.. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 25.
(d) *Ad regul. de inf. ref. n.* 63. 64., *et ſeq.*
(e) *Loc. cit.*

Metropolitani in Episcopum. Ideo enim Episcopus confert *jure ordinario* beneficium, si patronus neglexerit praesentare, quia nullus gradus jurisdictionis intercedit inter Episcopum, et patronum, prout intercedit inter Episcopum, et Metropolitanum; unde fit, ut ab Episcopo collatio devolvatur ad Metropolitanum.

Terminus vero non currit, ac proinde patroni non dicuntur negligentes, si non praesentent, quum controversia est inter eos, et Episcopum super jurispatronatus pertinentia, nempe num beneficium liberum sit, et ad Episcopi collationem pertinens, an juripatronatus subjectum: aut si alterum non praesentent, quum quaestio est, num praesentatus sit necne admittendus, ne sit in potestate Episcopi excludere patronos a praesentatione praetextu litis, ut recte animadvertit de Roye (*a*). Sicut neque terminus currit, si non praesentent ob litem vertentem inter ipsos patronos super jurispatronatus pertinentia. Namque contra non valentem agere praescriptionem non obtinere sanxit Imperator Justinianus in *l.* 1. §. 2. *cod. de annal. except.*. Et lite pendente inter electores terminus concessus ad eligendum jure canonico non currit: quicquid dixerit ipse de Roye (*b*) ex *cap.* 3., *et cap.* 27. *de jurep.*, in quibus Concilium Lateranense prius, deinde Innocentius III. decreverunt, ut non finita lite inter patronos infra quatuor menses ipsis con-

(a) *In comment. ad cap* 3. *de jurep.* §. *quia*. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 46.
(b) *In comm. ad tit. de jurep. cap.* 3. §. *ultim.*

concessos ad praesentandum, institutio seu collatio spectaret ad Ordinarium. Quia sicut sanctio canonica, ut lis definiri debeat infra biennium, in foro non servatur ob multitudinem causarum: ita ob multitudinem causarum factum est, ut antea dixi; ut neque haec canonica sanctio in praxi servetur.

Admittitur autem ignorantia, sive a facto procedat, sive a jure, non tamen si procedat a fundationis lege, quam patroni scire tenentur. *Hoc enim casu* (inquit Pitonius (*a*)) *nemo inter doctores adhuc dicere tentavit, quod patronus possit allegare ignorantiam legis fundationis.* Quandoque vero admittitur, consideratis nempe circumstantiis temporis nimis antiqui; aut personae, a qua fundatoris testamentum; aut alia scriptura conservatur, puta si conservetur in aliquo privato archivio; *quia ista non intrat; ubi patronus rationabiliter ignoravit qualitates a fundatore requisitas*; ut ait Rota (*b*).

Nondum tamen lapso quadrimestri a jure concesso patrono laico ad praesentandum, potest patronus, licet scienter contra legem fundationis praesentaverit, alterum idoneum in eodem termino praesentare corrigendo suum errorem, ut loquitur eadem Rota (*c*). Et ita intelligitur illa differentia, quam doctores tradunt, nempe quod competente jurepatronatus pluribus uti singulis; jus majoris partis, quae scienter praesentavit indignum,

 aut

(a) *Alleg.* 81. *n.* 8. Card. de Luca *diſc.* 47. *n.* 5.
(b) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 3. *poſt caſ.* 3. *n.* 13.
(c) Ap. eumd. Fargnam *loc. cit. poſt dict. caſ.* 3. *n.* 16., *et* 17.

aut inhabilem, consolidatur in parte minore: competente vero pluribus uti universis ad instar Collegii, et Universitatis, jus devolvitur ad Episcopum, si major pars in dicto termino a jure concesso ad praesentandum suum errorem non correxerit alterum praesentando. Nam si alterum in dicto termino praesentavit, neque consolidatur in minore parte, neque devolvitur ad Episcopum (*a*).

In dubio autem praesumitur ignorantia vitiorum praesentati, sive patronus, qui praesentat, ecclesiasticus sit, sive laicus, praesertim si sit laicus, ut recte tradit Pitonius (*b*), qui (*c*) respondens sententiae Fagnani, Lambertini, et aliorum docentium, quod scientia qualitatum electi praesumitur in electionibus, dicit: *Sed hoc procedere forsan potest circa notorias et apparentes, non vero circa occultas qualitates; alias propositio generaliter accepta circa praesumtionem, quod quis scienter praesentet indignum, esset falsa etc.: et sequeretur quod distinctio illa communis doctorum, qui quaerunt in hoc puncto, an quis praesentaverit indignum scienter, vel ignoranter, ut plenae sunt paginae, remaneret quasi frustratoria, et inanis, si praesumtio semper esset pro scientia indigni, maxime si indigni vocabulum late accipiatur etiam pro non idoneo: sicut rejecta distinctione Lambertini inter indignum, et non idoneum tenet Fagnanus etc.: et scientia debet*

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 3. *n.* 10., *et* 11.

(b) *Alleg.* 100. *n.* 18.

(c) *Discept. eccles.* 4. *n.* 54.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 47. *n.* 4.

bet esse clara, non praesumta, cum agatur de amissione, ut animadvertit Vivianus (a).

Verumtamen idem docet post plures doctores, et Rotae decisiones ab ipso relatas (*b*), patronum etiam laicum, si scienter indignum praesentaverit, ipso jure privari facultate praesentandi, quod admittit fieri posse in termino a jure concesso ad praesentandum a solo patrono, qui ignoranter praesentavit *juxta originalem theoriam, quam doctores nostri attribuunt Barbat. consil.* 33., *quam communiter sequuntur Tribunalia, et signanter Sacrae Rotae Auditorium*, ut refert Pitonius (*c*), qui videtur eidem theoriae consentire, dum de quadam Communitate patrona loquens ait, quod *praesentando incapacem, et minime qualificatum amisit pro hac vice potestatem praesentandi, et etiam durante quadrimestri jus providendi devolutum remansit ad Superiorem.*

Alibi vero (*d*) loquens de quaestione, utrum patronus, qui ignoranter inhabilem praesentavit, novum terminum obtinere debeat ad praesentandum computandum a die, quo praesentatio rejecta fuit, an possit praesentare durante adhuc quadrimestri, distinguit praesentationem inhabilis factam scienter a praesentatione inhabilis facta ignoranter: et contra *Tudertinam jurispatronatus* ab ipso relatam, sustinet in praesentatione facta ignoranter patronum habere novum terminum

---

(a) *Lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 72. *in fine.*
(b) *Loc. cit. n.* 71.
(c) *Alleg.* 81. *n.* 6. *in fine.*
(d) *Diſcept. eccleſ.* 4. *n.* 47., *et* 49.

num ad praesentandum ; in praesentatione facta scienter admittit posse patronum novam praesentationem facere durante quadrimestri. *Et ratio distinctionis est* (subjicit ipse), *quia, ubi praesentatio inhabilis facta fuit scienter, patronus habet, quod sibi imputet, si perseverat in ea toto tempore quadrimestris* (nota ista posteriora verba, *si perseverat in ea toto tempore quadrimestris*, quae ad rem nostram faciunt), *cum paria sint neminem praesentare, ac praesentare inhabilem, seu non idoneum : secus autem quando ignorat inhabilitatem sui praesentati ; tunc enim cum patronus sit in bona fide, quod sua praesentatio sit valida, quodque conservaverit jus suum per illam, proinde sibi imputari non potest aliqua negligentia in praesentando, nisi a die detectae inhabilitatis praesentati, a quo incipit sibi currere novus terminus*. Quod et vim obtinere in jurepatronatus ecclesiastico docet post Joannem Andream, et alios doctores, ac Rotae decisiones ab ipso relatas respondens (*a*) contrariis Lambertini, et Viviani opinionibus. Et deinde subjicit (*b*): *et hanc opinionem ego puto humaniorem, et magis tenendam in praxi*.

Hinc patet doctores hac de re varie cogitasse: ea tamen opinio mihi videtur aequa, imo et juri consona ; quae tradit, posse patronum laicum, si scienter inhabilem, aut indignum praesentavit, alterum intra quadrimestre praesentare juxta distinctionem supra relatam. Textus autem in *cap. cum in cunctis, de elect. §. clerici*, unde doctores de-

su-

(a) *Loc. cit. n.* 51., *et* 52.
(b) *Loc. cit. n.* 53.

sumunt consequentiam, quod patronus laicus statim facta praesentatione scienter inhabilis, aut indigni privatur jure praesentandi, loquitur de electione, non de praesentatione, seu de patronis ecclesiasticis (*a*). Huic opinioni consentit Wan-Espenius (*b*) post Fagnanum ab ipso relatum: objectionibus contra factis late, et bene respondet Fargna (*c*).

Cum igitur patronus laicus per praesentationem scienter inhabilis, aut indigni ipso jure non privetur facultate alterum praesentandi, recte concludit idem Fargna posse patronum intra quadrimestre suum corrigere errorem alterum praesentando; sicut de jure etiam habilem, et dignum praesentans potest intra eumdem terminum quatuor mensium variare, seu alterum accumulative praesentare. Quam variandi facultatem cum patronus ecclesiasticus non habeat, hinc quoque manat, ut post primam praesentationem inhabilis, aut indigni scienter factam non possit alteram facere, ut merito ipse Fargna animadvertit (*d*). Hanc distinctionem paucis, sed perspicuis verbis complectitur eruditissimus Franciscus Florens, dum ait (*e*), quod *laicus patronus, sive clericum idoneum, sive non idoneum nominat, ab initio va-*

(a) Fargna *P*. 2. *can*. 3. *caſ*. 3. *n*. 8.
(b) *Tom*. 3. *part*. 2. *ſect*. 3. *tit*. 8. *cap*. 5. *n*. 24.
(c) *P*. 2. *can*. 3. *caſ*. 3. *n*. 8., *et* 9.
(d) *Loc. cit. caſ*. 3. *n*. 11.
(e) *Ad lib*. 3. *decretal. tit*. 28. *de jurep. tom*. 2. *ad cap*. 5., *et ad cap*. 24., *et* 29. *pag*. 268. *in princ*., *et* 269. §. *ecclesiasticus vero patronus*.

variare potest , et alium idoneum praesentare , dummodo intra quatuor menses , quibus laicis patronis praesentatio conceditur . . . : ecclesiasticus vero patronus &c. , si non idoneum praesentet , variare non potest , et pro hac vice privatur jure suo , sicut et ille , qui indignum eligit , et citat *id. cap. cum in cunctis , de elect.*

Inhabilis autem dicitur , qui non habet requisita a jure , vel a fundatione , aut aliquem defectum habet , ob quem de jure inhabilis sit ad obtinenda beneficia , puta ob aliquod corporis vitium , quod magnam afferat corporis deformitatem, aut castrationem , aut si praesentatus conjugatus sit , bigamus , aut illegitime natus , ut supra dixi loquens de beneficiis . Indignus dicitur , qui aliquod crimen patravit , puta apostasiam , haeresim, schisma , simoniam , perjurium , sodomiam , concubinatum notorium per sententiam , aut confessionem sponte factam , usuram manifestam , falsitatem , scurrilitatem , infamiam sive juris , sive facti &c. , de quibus vide Fargnam *P.* 1.*can.* 5. *cas.* 12.: *nisi fuerit ab infamia liberatus* , ut subjicit idem Fargna *loc. cit. n.* 14. . Licet enim non omnia crimina irregularitatem inducant ; cum vero fuerint publica , *speciem irregularitatis causant* , ut inquit Wan-Espenius (*a*) .

Hinc manat illa juris regula 87. (*b*) , ut *infamibus portae non pateant dignitatum* , quam accipiendam esse notant Canonistae (*c*) tam de infa-

(a) *Tom.* 2. *P.* 2. *sect.* 1. *tit.* 10. *cap.* 6. *n.* 13.
(b) *De reg. jur. in VI.*
(c) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 6. *n.* 14.

famia juris, quam de infamia facti: neque aliter intelligendum esse textum in *cap. fin. de test.*, ubi dicitur, ut *accusati de crimine, nisi se probaverint innocentes, a susceptione ordinum repellantur*, autumat Avila relatus ab eodem Wan-Espenio (*a*), nisi quia accusati, dum accusatio pendet, laborant infamia facti, praesertim si citati sint ad comparendum *personaliter*, quia *ita citati constitui dicuntur in reatu, redduntur que infames*, ut inquit idem Wan-Espenius (*b*). Itaque si quis fuerit *liberatus in forma*, seu cum clausula *novis supervenientibus indiciis*, aut crimen non sit plene probatum, eum non esse ad beneficia habilem contendit Cardinalis de Luca (*c*), quia ad repellendum aliquem a jure quaerendo, seu a beneficii consecutione *verius est solam diffamationem de facto sufficere*, ut ipse subjicit (*d*).

Infamia juris est ea, quae irrogatur ab ipso jure sive canonico, sive civili (*e*), et quae dispensatione indiget (*f*), puta ob crimina supra enunciata, ut adulterium, incestum, maleficium, raptum mulieris, duellum etc., si notoria sint (*g*), aut ob condemnationem ad poenam, quae pariter irrogat infamiam, puta ad tri-

---

(a) *Loc. cit. cap. 6. num. 14. in fin.*
(b) *Tom. 4. part. 3. tit. 6. cap. 3. n. 8.*
(c) *De benefic. disc. 8. n. 7. et disc. 70. n. 5. 6., et 7., ac disc. 71. n. 9.*
(d) *Disc. 70. n. 5.*
(e) *Can. infames, caus. 6. qu. 1.*
(f) Antoine *in theolog. moral. in tractat. de censur. cap. 5. qu. 4. n. 5. §. Porro.*
(g) Antoine *loc. cit. qu. 5. n. 5.*

triremes etc. (*a*). Infamia facti est publica opinio mala ob aliquod crimen patratum, quod licet infamiam de jure non irroget, graviter tamen laedit famam apud viros prudentes considerata qualitate personae. Itaque ebrietas, si publica sit, irrogat infamiam clerico, inspecta qualitate personae, qua est ecclesiastica (*b*). Et haec quidem tollitur per subsequentem vitae emendationem, etiam publicam (*c*), saltem per triennium, ut communiter docent Canonistae (*d*). Etenim *ad probandum aliquem esse emendatum non satis est illum esse contritum, et confessum, sed exterior requiritur satisfactio: et ideo non aliter emendatus praesumitur, quam si trium annorum intervallo ab improbe factis se abstinuerit, et in rectis, honestisque actionibus sese exercuerit*, ut inquit Antonellus (*e*). Ideo non praesumitur, sed probari debet, si crimen fuerit quoque probatum, quia *haec emendatio non praesumitur in manifesto criminoso, cui peccatum probatum fuit etc.; atque idcirco ostendere tenetur probatione legitima jam emendatum esse*, ut post alios Canonistas, et doctores recte tradit Gonzalez (*f*).

Verum *ad inducendam hujusmodi infamiam facti quatuor conditiones a doctoribus requiruntur: prima, quod sit opinio communis: secunda, ut ab ipsis*

(a) Antoine *loc. cit. qu. 4. n. 5. §. infamia.*
(b) Antoine *loc. cit. qu. 4. n. 5. §. duplex autem.*
(c) Antoine *loc. cit. qu. 4. n. 5. §. porro.*
(d) Apud Gonzalez *in lib. 2. decretal. ad cap. 54. de test. & adtest. n. 9.*
(e) *De regim. eccleſ. lib. 2. cap. 6. n. 17.*
(f) *Loc. cit. n. 9.*

ipsis pluribus voce manifestetur : tertia, ut infamia sit apud bonos, et graves viros. quarta, ut oriatur ex suspicione probabili, ut post alios doctores animadvertit idem Antonellus (*a*). Ideo addit ex communi doctorum sententia, quod *infamiam non faciunt dicta paucorum, nec multarum levium personarum, modo apud bonos, et graves non sit opinio laesa*. Igitur oportet, ut Ordinarius diligens sit in investiganda veritate, cum experientia me non semel docuerit ipsos competitores in beneficiis plures accusationes cum imperfectis probationibus, et calumnias moliri, et facili quidem negotio in magna caterva, quae hodie viget, calumniatorum, et testium perjurorum. Hinc alii doctores, quos refert Rota impressa apud Fargnam (*b*), docent probationem plenam, et concludentem requiri contra praesentatum, qui nullos in judicio competitores habeat, et testatur eadem Rota (*c*), quod *ipsa requirere consuevit sententias super iisdem criminibus latas, nec non transportationem actorum, unde illarum justitia remaneat comprobata*.

Sed est et alia potior differentia inter unum, et alterum juspatronatus; nempe quod juspatronatus ecclesiasticum afficitur regulis Cancellariae, ideoque confertur a S. Sede in mensibus ipsi S. Sedi reservatis, nisi aliud in fundatione cautum sit: juspatronatus vero laicum, vel mixtum nullis regulis Cancellariae, nulla reservatione afficitur, prout quotidiana praxis concedendi institutionem prae-

---

(a) *Loc. cit. n. 7. §. observa tamen.*
(b) *P. 5. can. 12. caſ. 3. n. 20.*
(c) *Loc. cit. n. 21.*

praesentato ad beneficium in quocumque mense vacatum docet, nisi sit juspatronatus ex privilegio (*a*).

Cum igitur juspatronatus ecclesiasticum sit dignitati adnexum, et officio ecclesiastico, hinc sequitur una cum eadem dignitate, et officio ad possessorem dignitatis, et officii transire; in alterum vero non transferri, nisi servatis solemnitatibus in alienatione rerum, et jurium ecclesiae requisitis (*b*).

CAPUT VIII.

De jurepatronatus laico.

SIcut qualitas jurispatronatus ex qualitate personarum, quibus concessum fuit, desumitur, ut superius dixi loquens de jurepatronatus ecclesiastico; ita si ad laicos pertinet, laicum dicitur. De differentia inter patronum ecclesiasticum, et laicum satis ibidem dictum est. Illud dumtaxat hic notandum, quod patronus laicus facultatem habet variandi in termino quatuor mensium sibi a jure concesso ad praesentandum, seu plures successive nominandi, quorum nominatio a doctoribus dicitur *accumulativa*, seu talis, ut liceat patrono secundam nomi-

(a) Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. Gloſſ.* 18. *n.* 2., 18., & 93. Van-Eſpen. *Tom.* 3. *part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 6. *cap.* 6. *n.* 22., & 23.

(b) Zypaeus *reſponſ.* 4. *de jurep.*. Wan-Eſpen. *loc. cit. tit.* 8. *cap.* 4. *n.* 1., & 2.

minationem facere, a prima tamen non recedendo; et Episcopo alterum ex praesentatis instituendi, seu gratificandi, re tamen integra, seu antequam fuerit ab Episcopo concessa institutio praesentato (*a*), ut patet ex *cap.* 24. *de jurep.*, ubi Lucius III. Noruvicensi Episcopo respondit: *Cum autem advocatus clericum idoneum Episcopo praesentaverit, et postulaverit postmodum, eo non refutato, alium aeque idoneum in eadem ecclesia admitti, quis eorum alteri praeferatur, judicio Episcopi credimus relinquendum, si laicus fuerit, cui jus competit praesentandi. Verum si collegium, vel ecclesiastica persona praesentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur.* Vide Gonzalez, Fagnanum, et Fargnam ad *dict.cap.*, et eumdem Fargnam *P.* 2. *ad can.* 9. 10., *et* 11. *cas.* 1. *n.* 14.

Utrum vero semel, vel pluries liceat patrono variare, quaestio est inter Canonistas. Plures Canonistae, quos sequitur Fagnanus (*b*), et Fargna (*c*), docuerunt semel tantum patronum laicum variare posse. Wan-Espenius (*d*) *verius*, ut ipse dicit, existimat pluries variare posse, ex potissima quidem ratione ductus, quod per variationem accumulativam nullum Episcopo praejudicium infertur; quin potius datur ei amplior eligendi,

 seu

(a) Wan-Eſpen. *tom.* 3. *part.* 2. *ſect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 16., 17., 18.. *et* 20.. Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10., *et* 11. *caſ.* 1. *n.* 2.

(b) *Ad cap.* 24. *de jurep. n.* 8.

(c) *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *caſ.* 3. *n.* 1., *et* 2.

(d) *Loc. cit. cap.* 5. *n.* 22.

seu instituendi libertas, ut animadvertit etiam Glossa ad *Clementin. plures* , *de jurepatronatus*. Cujus opinio mihi arridet , neque ad rem facere videntur rationes contra allatae per doctores apud eumdem Fargnam (*a*), nempe quod variatio sit odiosa, ideoque restringenda juxta *regul.* 15. *odia* , *de reg. jur. in VI.*, et quod jura eam permittentia de duobus dumtaxat praesentatis loquantur. Nam prior ratio cessat per rationem allatam a Wan-Espenio quod sit potius favorabilis et patrono in praesentando, et Episcopo in instituendo ; posterior autem non obstat , quia jura non loquuntur de variatione *limitativa* , seu *taxativa* , ut Forenses loquuntur, ad secundam praesentationem tantum, ita ut prohibitum videatur patrono alium post secundum praesentare.

Neque obstat illa propositio per se vera , quod praesentatio *dat jus ad rem* (*b*) . Quia illud jus intelligitur hic de patrono , qui jus habet , ut ejus praesentatio admittatur ab Episcopo, non de primo praesentato, ut recte notat de Roye (*c*). *Quamvis* (ait ipse) *prima praesentatio pulsaverit aures Episcopi* ; *attamen non tribuit jus ad rem* , *sed est quodammodo in pendenti* , *an videlicet patronus in ea perseveret* ; nisi primae praesentationi juramentum , seu promissio jurata accesserit de non variando neque *privative*, neque *accumulative*, vel promissio etiam sine juramento , a praesentato tamen acceptata, quia per dictam promissio-

(a) *Loc. cit.*
(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 5. *n.* 20. §. *quod enim.*
(c) *Ad cap.* 24. *de jurep.* §. *patronus*.

sionem jam cessit juri suo (*a*). Potest vero patronus, dicto juramento non obstante, alium praesentare, si aut primus praesentatus cesserit juri suo, aut non acceptaverit promissionem de non variando (*b*).

Nota illa verba neque *privative*, neque *accumulative*, quae valde differunt inter se. Privative enim praesentare idem est, ac praesentare cum promissione non revocandi praesentationem factam: promissio vero non praesentandi *accumulative* est promissio non variandi, seu secundam non faciendi praesentationem. Hinc patet, quod, si quis dumtaxat promiserit non praesentare *privative*, possit secundam praesentationem accumulativam facere. Nam praesentatio accumulativa non est prioris praesentationis revocatio, sed alterius praesentationis ad primam additio, ut Episcopus alterum ex praesentatis instituat. Itaque per verba neque *privative*, neque *accumulative* patronus privat se facultate variandi etiam accumulative (*c*). Ut autem patronus se privet facultate variandi *accumulative*, sufficit promissio *accumulative* non variandi, quia Lucius III. in *dict. cap. cum autem advocatus*, non concessit patrono variationem privativam, seu prioris praesentationis revocationem,

 sed

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 2. *P.* 1. *qu* 4. *artic.* 13. *n.* 2. *et seq.*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 43. *n.* 9.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 43. *n.* 10. Fargna *loc. cit. cas.* 4. *n.* 4., *et* 7.

(c) Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 4. *n.* 2. 3., *et* 11.

sed accumulativam tantum, ut recte doctores animadvertunt (*a*).

Utrum vero ista *accumulativa* variatio, vel nova praesentatio ab eo, qui jam alteram fecit, si praesentatus decesserit, aut liti cesserit, fieri possit lite pendente inter praesentatos, an fieri debeat post litem finitam, non levis quaestio est inter doctores in expositione *cap.* 1., *et* 2. *ut lite pendente*, *in VI.*, quam vide apud Fargnam *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 3., et Pitonium *de controv. patron. alleg.* 16. *n.* 4., 5., *et* 6., *alleg.* 22. *n.* 24., *et* 40., *alleg.* 81. *n.* 2., *et* 3., *et discept. eccles.* 31. *n.* 2.. Illud certum est apud doctores (*b*) non posse patronos variare, si controversia sit inter patronos super jurepatronatus, nisi ante vacationem beneficii essent in quasipossessione praesentandi, et controversia non sit super ipsa possessione (*c*). Illud quoque certum est posse patronos alterum praesentare, si alter presentatus decesserit, aut liti cesserit, et si prior praesentatio facta irrita sit, utpote facta ignorabiliter pro criminoso, seu indigno, *quia in isto casu patronus laicus non diceretur variare, sed praesentare*, ut optime ad rem animadvertit Fargna, qui id Rotae decisionibus comprobat (*d*). Quia, etiamsi alter praesentatus non decesserit, aut liti non cesserit, posse patronos, qui eum indignum ignorabiliter praesen-

---

(a) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 1. *n.* 12. *ad* 14.. Piton. *alleg.* 100. *n.* 354.

(b) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 9., 10., 11. *cas.* 3. *n.* 1.

(c) *Loc. cit. n.* 1.

(d) *Loc. cit. n.* 3.

sentaverunt, alterum corrigendo errorem praesentare lite pendente, seu contestata, docent plures doctores (*a*) post Lambertinum (*b*), quorum sententia mihi arridet, licet alii (*c*) contrarium doceant: *quoniam haec non dicitur variatio, aut secunda praesentatio accumulativa, sed prima, et unica praesentatio; nam alia, quae nulla est ipso jure, habetur pro non facta, quia paria sunt non praesentare, ac nulliter, et inhabilem praesentare*, ut animadvertit Pitonius (*d*) ex doctrina ejusdem Lambertini.

Ad vitandas vero omnes quaestiones dictam secundam praesentationem admitti posse existimo cum clausula, *si et in quantum, et prout de jure, et de ea habeatur ratio, quae de jure, in decisione causae*. Nam per hujusmodi admissionem neque beneficio, neque patronis, aut praesentatis ullum infertur praejudicium, praesertim si patroni laici sint, qui possunt intra quadrimestre errorem corrigere alterum praesentando, etiamsi alterum scienter indignum antea praesentaverint, ut infra dicam. Sicut possunt patroni, qui nondum praesentaverunt, intra quadrimestre praesentare, etiam pendente lite inter praesentatos ab aliis patronis (*e*), aut post primam praesentationem factam accumulative praesentare praesentatum ab altero patrono; *quia tunc per talem variationem lis finiretur. . . . et semper in*

 casu

(a) Ap. Piton. *alleg.* 2. *n.* 20. *ad* 24.
(b) *De jurep. lib.* 2. *part.* 2. *qu.* 7. *art.* 2. *n.* 5. *art.* 6. *n.* 1. *art.* 10. *n.* 2.
(c) Ap. Piton. *loc. cit. n.* 19.
(d) *Loc. cit. n.* 20.
(e) Piton. *loc. cit. n.* 20.

casu variationis Episcopus, seu alius habens jus instituendi poterit, quem vult, instituere, ut inquit Vivianus (*a*); *dummodo* (animadvertit Fargna (*b*)) *ex tali praesentatione, et variatione lis non prorogetur, et protrahatur in longum, quia tunc cessat ratio cap. 1. ut lite pendente, in VI., nimirum ne propter novos adversarios litigia prorogari contingat.*

CAPUT IX.

De jurepatronatus mixto ex ecclesiastico, et laico.

JUspatronatus mixtum dicitur, quod ad patronos ecclesiasticos simul, et laicos spectat, in quo consideratur non solum qualitas personarum, a quibus possidetur, sed etiam qualitas bonorum, ex quibus comparatur, puta si comparetur *ex bonis, ad Corpus mixtum pertinentibus*, ut tradit de Roye (*c*). Corpus autem mixtum illud est, ut ipse explicat (*d*), cujus officium et laicis, et clericis competit: ejus exercitium vel per turnum, et alternativam spectat ad patronos, vel *absolute*, et *simultanee*, ut distinguunt doctores. Si exercitium jurispatronatus divisum sit per turnum, et alternativam, in turno ecclesiastici manet ecclesiasticum, in turno laici manet laicum; quia tunc considerantur uti duo

(a) *Loc. cit. n. 7.*, *et* 8.
(b) *P. 2. can. 9.*, 10., 11. *cas. 3. n. 4.*
(c) *In prolegom. ad cap. 7. de jurep. §. unde.*
(d) *Loc. cit. §. ea igitur.*

duo separata, et distincta jurapatronatus, adeo ut singuli patroni suo jure utantur (*a*). Si vero per turnum, et alternativam divisum non sit, sed patroni tam ecclesiastici, quam laici simultanee concurrant ad praesentandum, jura dicuntur sibi invicem quasi misceri, et unicum constituunt juspatronatus, quod cum utriusque naturam, et conditionem induat, merito mixtum dicitur.

Hinc fit, ut alterum induat conditionem alterius, quae magis favet ipsius juris conservationi, nempe *naturam utriusque participat, et semper illud vindicat, quod in altero fuerit optimum*, ut optime ad rem explicat idem de Roye (*b*), prout de jure obtinet in actibus individuis, puta in servitutibus. Cujus quidem juris rationem reddit Glossa ad *cap. unic. de jurep. in VI.*, quam omnes passim sequuntur, nempe quod per communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegiati (*c*), etiamsi mixtura sit inaequalis, puta si plures sint ecclesiastici quam laici, ut doctores communiter (*d*) tradunt juxta doctrinam, quam ipsi appellant *probabiliorem*, Rotae decisionibus confirmatam contra Gonzalez, et Lottherium, quia semper pars favorabilior attenditur, ut ipsi dicunt.

Atque Fagnanus (*e*) loquens de praescriptione jurispatronatus mixti dicit, quod *si agatur de praescri-*

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 19. *ad* 22.
(b) *Loc. cit.* §. *ea vero*.
(c) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 24.
(d) Ap. Card. de Luca *de jurep. disc.* 59. *n.* 23., *et disc.* 64. *n.* 4.. Vivian. *lib.* 7. *cap.* 1. *n.* 10.
(e) *Ad cap. cum propter, de jurep. n.* 28., *et* 29.

scriptione patronatus mixti ; in qua ecclesia est magis privilegiata, quam laicus, censetur patronatus totus ecclesiasticus , ut requiratur ad ejus praescriptionem idem tempus , quod requiritur contra ecclesiam. Similiter cum patronus laicus habeat ad praesentandum quadrimestre, ecclesiasticus semestre, si mixtus sit patronatus, uterque patronus habebit semestre; quia hoc casu melior est conditio patronatus ecclesiastici, quam laicalis. E converso, si versemur in materia, in qua jus laicorum sit firmius, et magis privilegiatum, quam ecclesiasticum, patronatus mixtus ex utroque totus censetur laicalis. Et ideo, cum in materia derogationis potentior sit patronatus laicalis, quam ecclesiasticus, quamvis Legatus a latere possit conferre beneficia jurispatronatus ecclesiastici, non tamen poterit conferre, quae sunt patronatus mixti, quia in hoc reputatur ac si esset patronatus ex toto laicalis. Quam theoriam valere docet, etiamsi plures sint ecclesiastici, et unus tantum laicus: et tandem concludit (*a*) *in mixtis praevalere qualitatem magis faventem, et per quam jus alterius non laeditur ex communione, etiamsi qualitates contrariae sint numero plures.*

Juspatronatus mixtum non est obnoxium reservationi Apostolicae, sicut neque laicum (*b*): sed si sit divisum per turnum, in turno laico non est obnoxium reservationi, in turno ecclesiastico est obnoxium reservationi tamquam mere ecclesiasticum in dicto turno, ut saltem servatur in pra-

xi,

(a) *Loc. cit. n.* 59.

(b) *Gloss. in cap.* 2. *de praeb. in VI. verb. collatio.* Roch. de Curt. *de jurep. verb. honorificum qu.* 4. *n.* 22. *et seq.*

xi, licet contrarium in theoria *verius*, et *probabilius* appellet Fargna (a). Quoad praesentationem in jurepatronatus mixto ita distinguendum est: nempe quod aut mixtura est inaequalis, ac major praevalet minori: aut est aequalis, et aequalis pariter numerus personarum, seu patronorum, et tunc aequalem vocem habent in praesentando: vel numerus personarum est inaequalis, sed aliquando major, aliquando minor, et tunc decisio pendet ex circumstantiis facti, nempe ex fundatione. Nam si fundator aequale jus dederit ecclesiasticis, et laicis, seu aequalem vocem, sive minores numero sint, sive majores, vox dicitur aequalis. si autem inaequale jus, seu inaequalem vocem dederit, nempe si juspatronatus mixtum reservaverit majoribus numero ecclesiasticis, aut laicis, ita ut praesentatio majoris numeri patronorum sive ecclesiasticorum, sive laicorum praevalere debeat minori, vox dicitur inaequalis, et instituendus est praesentatus a majore numero praesentantium. Cessante autem lege fundationis, aut in dubio num inaequalis, aut aequalis sit, vox semper dicitur aequalis; scilicet spectat pro medietate ad patronos ecclesiasticos, et pro altera medietate ad patronos laicos, sive majores, sive minores numero sint.

CA-

(a) *P. 6. can. 23. cas. 2. n. 2.*

CAPUT X.

De jurepatronatus reali.

REale dicitur juspatronatus, quod fundo, feudo, villae, vel castro adhaeret, seu a fundatore adscriptum est, de quo mentio est in *cap.* 18. *de sententia, et re judicata*, et in *cap.* 7. *de jurep.*. Solebant viri nobiles, qui habebant domos, seu castra, vel villas procul ab ecclesiis Parochialibus distantes, pro commoditate familiae oratoria, et sacella exstruere, iisque de consensu Episcopi presbyteros praeficere, de quibus frequens mentio est in canonibus Conciliorum saeculi VII., et VIII., et in *can.* 22. Concilii Agathensis. Quae primitus cum nondum essent erecta in beneficia, erat tantum destinatio presbyterorum in dictis oratoriis, ut sacra, et interdum integrum officium canonicum peragerent (*a*): deinde cum in beneficia non modo simplicia, verum etiam curata, vel in canonicorum Capitula degeneraverint, juripatronatus eorum obnoxia; quibus jus erat destinandi presbyteros, dicta fuit praesentatio, prout non obscure colligitur ex *cap.* 16. de *privilegiis*, ubi mentio fit canonicorum capellae Ducis Burgundiae; unde hujusmodi jurispatronatus originem desumit Lodovicus Thomasinus (*b*).

Juspatronatus reale alicui competens jure feudi remanet laicum, etiamsi ad monasterium, vel ca-

---

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 2. *n.* 14. *ad* 18.
(b) *De disciplin. eccles. P.* 2. *lib.* 1. *cap.* 33.

Capitulum transierit, ut notat Molinaeus (*a*). Verum *Cap. si laicus, de jurep. in VI.*, in quo Bonifacius VIII. decrevit, ut, facta ecclesiae, vel monasterio jurispatronatus collatione a laico, ecclesia, vel monasterium, *quantum ad praesentationem pertinet, non ut patronus laicus, sed ut patronus debeat ecclesiasticus reputari*, intelligi de jurepatronatus personali, non reali, ut aliqui, quos *imperitos* appellat Georgius Lovetius in Notis ad Molinaeum (*b*), dixerunt, docuit idem Georgius Lovetius (*c*).

Cum igitur juspatronatus reale sit fundo, castro, feudo, alterive rei, aut juri adnexum, hinc patet ad instar juris realis transire in possessorem, seu dominum ejusdem rei, prout supra dixi; et communi calculo receptum est apud omnes interpretes ad *cap.* 13. *de jurep.*, ubi Alexander III. loquens de Hospitaleriis satis innuit juspatronatus reale transferri *traditione feudorum emtorum*; nempe cum eadem re, cui adnexum est, et nullo quidem intercedente assensu, prout supra tradidi ex communi Canonistarum doctrina, et praxi; quia *principaliter* alienatur res profana, *accessorie* autem juspatronatus ei adnexum, ut distinguunt doctores, etiam nulla dicti jurispatronatus facta mentione, cum dicta alienatio ad instar alienationis aliorum jurium realium, puta servitutis, hypothe-

---

(a) *Ad consuetud. Parisiens.* §. 45. *n.* 24. *et ad reg. Cancell. de infirm. resign. n.* 46. Wan-Espen. *in addit. loc. cit. cap.* 2. *n.* 12.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit.*

thecae, et ceterorum hujusmodi, semper praesumatur facta cum sua causa, etiamsi dominium utile tantum alienetur. Quia cum usus rei de jure dominium utile sequatur, ad dominium utile pariter jurispatronatus exercitium pertinet (*a*), remanente apud dominum, seu proprietarium dominio directo, seu dominii titulo, prout de jurepatronatus adnexo cuidam villae, quae fuit data ad *firmam* militi a quodam monasterio domino directo, rescripsit Alexander III. in *cap.* 7. *de jurep.*, ut antea dixi. Et quod de alienatione dicitur, intelligitur etiam de legato, aut renunciatione rei, cui juspatronatus adnexum est; adeo ut legato, aut renunciato feudo, vel castro, cui adnexum est juspatronatus, et ipsum juspatronatus legatum et renuntiatum intelligatur, et in legatarium, et renunciatarium transferatur (*b*).

Ita igitur rei ipsi inhaeret juspatronatus, ut non rei possessor, sed quasi ipsa res dicatur patrona, prout revera est de jurepatrônatus adnexo dignitati, officio, aut Universitati adprobatae, in quo non is, cui ratione dignitatis, officii, aut Universitatis, quam repraesentat, juspatronatus competit, sed ipsum officium, ipsa dignitas, ipsa Universitas dicitur patrona (*c*). Hinc quoque deducunt doctores (*d*), divisa hereditate, juspatronatus reale ad illum, sive ad illos spectare, ad quem,

---

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 6. §. *quamdiu*.
(b) Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *cas.* 3. *n.* 1.
(c) Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *cas.* 3.
(d) Ap. de Roye *in prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 19. §. *sed cum rejicit.*

quem, sive quos in divisione hereditatis spectavit praedium, sive res, cui juspatronatus adnexum est, sive aequaliter, si praedium heredes pro medietate possideant, sive inaequaliter, si inaequaliter praedium possideant, puta si alter bessem, seu duas tertias partes praedii, alter trientem, seu alteram tertiam habeat. Vocem vero alterius, qui bessem possidet, praevalere voci alterius, qui trientem tantum habet, docuit de Roye sumta paritate a jurepatronatus hereditario, ut clarius patebit ex iis, quae infra dicam de eodem jurepatronatus hereditario, quia *forte eadem est hereditatis, et fundi ratio*, ut ipse ait (*a*): et docuit praesertim Cardinalis de Luca (*b*), sumta quoque paritate a §. *Insula* 22. *Institut. de rerum divis. et acquirend. ipsar. dom.*, ubi Imperator Justinianus sanxit, quod *insula in flumine nata* . . . *si quidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possederint; pro modo scilicet latitudinis cujusque fundi, quae prope ripam sit*: idest ripa ita communis est inter possidentes praedia prope ripam, ut tamen majorem, aut minorem partem alteruter habeat pro majore, aut minore ripae latitudine. Sed vide, quae infra distincte dicam de jurepatronatus hereditario, ubi dictam quaestionem, utrum successores in hereditate aequaliter aut inaequaliter juxta aequalem, aut inaequalem hereditatis divisionem succedant in exercitium jurispatronatus, late pertractabo.

Prae-

(a) *Loc. cit.*
(b) *De jurep. disc.* 61. *n.* 4.

Praefertur vero, ut supra dixi, usufructuarius proprietario, et in jurepatronatus adnexo bonis datis in dotem vir uxori (*a*). Pro possessore autem intelligitur possessor juris, si res, cui adnexum est juspatronatus, manifesto jure ad alterum pertineat, non ad possessorem facti, si injuste fuerit occupata (*b*). Ex quibus autem probetur juspatronatus esse reale, vide Cardinalem de Luca de *jurep. disc.* 5. *n.* 9. *et seq.*, et Franciscum Fargnam *in comm. ad singulos Canones de jurep. P.* 2. *can.* 14. *et* 15. *cas.* 3. *n.* 12. *et seq.* Ordinarie tale praesumitur, si beneficium sit fundatum intra fines loci, ubi situm est, praesertim si praesentatio semper fuerit facta per patronum uti dominum loci, castri, vel feudi, sicut bona possessa per Baronem semper praesumuntur feudalia, nisi probentur burgensatica, juxta veriorem conclusionem (*c*).

Utrum renuntians reverti possit ad juspatronatus renuntiatum, ita distinguunt doctores: Aut renuntiatio est *realis* et *abdicativa*, ut renuntians tollat se de medio fingendo se mortuum, ut loquuntur doctores, ut si renuntiet bonis omnibus tum praesentibus tum futuris, tum ex testamento, tum ab intestato, sine ulla personarum contemplatione, sed per verba complectentia omnes, et quoscumque heredes, et successores etiam extraneos, et per clausulas perpetuo excludentes regressum ad bona renun-

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *cas.* 13. *n.* 48., *et cas.* 6. *n.* 6. 7., *et* 8.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 62. *n.* 10.

(b) Rota ap. Piton. *alleg.* 100. *n.* 168.

(c) Ap. Ferrarium *de feudis P.* 1. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 9., 10., *et* 11.

nuntiata; et tunc renuntians regressum ad bona renuntiata non habet (*a*). Aut renuntiatio est personalis *absolute et simpliciter*, ut Forensium phrasi loquar, puta si facta sit intuitu personae; et tunc si renuntiatarius ante renuntiantem decedat, ipsa renuntiatio cessat, et renuntians habet regressum ad bona renuntiata (*b*).

Ad distinguendum vero, quaenam bona, aut jura in renuntiatione comprehendantur, tres species distinguit Bartolus (*c*); unam nempe, quae *re* nobis competere potest, alteram, quae *spe*, tertiam, quae *nec spe, nec re*. Ad primam referunt doctores illa jura, quae revera exsistunt: ad secundam referunt illa, quae sperantur, puta si quis jura renuntiet *ex causa de futuro*, *ex causa nova*, *aut ex causa de novo superveniente*; ad tertiam denique referunt illa bona, seu jura, quae neque re exsistunt, neque sperantur. Si renuntiatio concepta sit in forma primae, et secundae speciei jurium, nempe si jura primae, et secundae speciei complectatur, sub renuntiatione abdicativa comprehenduntur jura, quae competunt re, aut spe: non comprehenditur vero tertia jurium species, quae *nec re*, *nec spe* competunt, nisi renuntians se explicaverit per verba, quae etiam hujusmodi jurium speciem complectantur. Quamobrem si renuntiatarius renuntiationem obtinuerit rei existentis,

(a) Surd. *cons.* 517. *n.* 14.
(b) *Mans. consult.* 296.. Fargna *P.* 2. *can.* 14., *et* 15. *cas.* 3. *per totum*.
(c) *In l.* 1. *c. de pact.* §. 1. *litt. K.*, *et n.* 4.

tis, aut juris, quod speratur, cui adnexum sit juspatronatus, non acquirit juspatronatus adnexum alicui rei, aut hereditati, quam non sperabat; puta si eam habuerit ab extraneo post renuntiationem factam, cum sicut tempore renuntiationis hujusmodi casum praevidere, seu cogitare non potuit, ita nec potuerit velle hujusmodi juri, seu successioni renuntiare, ex regula per se nota, quod nihil volitum, nisi praecognitum (*a*). Vide Cardinalem de Luca de *renunciat. diſc.* 1. *et* 4., et Franciscum Fargnam *P.* 2. *can.* 14. *et* 15. *cas.* 3.

C A P U T XI.

De jurepatronatus personali.

JUspatronatus dicitur personale, non quod certae personae ita adnexum sit, ut ad ejus heredes non transeat, sed ut ab eo distinguatur, quod rei inhaeret, seu a jurepatronatus reali. Jura personalia sunt nomina debitorum, seu credita personalia, quae hypothecam non habent, sed debitoris personam, ejusque heredes sequuntur; adeo ut creditores *hypothecarii*, ut in jure dicuntur, super re obligata praeferantur creditoribus *chirographariis*, etiam anterioribus, qui personalem tantum actionem habent, seu contra personam debitoris: itaque cum re ipsa transfertur (*b*). Hinc ma-

(a) Menoch. *conſ.* 71. *n.* 31. Surd. *deciſ.* 326. *n.*52. Fargna *loc. cit. cap.* 3. *n.* 12. 13. & 14.
(b) Wan Espen. *P.* 3. *ſect.* 3. 8. *cap.* 4. *n.* 3. & 4.

manat distinctio, de qua supra in *Cap. praeced.* egi, inter juspatronatus reale, quod translatum in Monasterium, vel Capitulum eamdem naturam conservat, quam antea habebat ratione rei, cui adnexum erat, nempe laicam, et inter juspatronatus personale, quod etiam in origine laicum, in ecclesiam translatum fit ecclesiasticum, ut satis superque dixi in *Cap. de jurep. ecclesiastico.*

CAPUT XII.

De jurepatronatus regio.

Juspatronatus dicitur regium, *si ad Imperatorem, et reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos principes jura imperii in dominiis suis habentes pertinet*, ut inquit Tridentinum *sess.* 25. *de ref. cap.* 9. Non omnia vero beneficia jurispatronatus regii ejusdem generis sunt. Quaedam enim ad regum praesentationem pertinent, et conceduntur praesentato sive Ordinarii, sive Summi Pontificis institutione pro diversa qualitate beneficiorum, nempe minorum, et simplicium, aut majorum, et dignitatum cum jurisdictione, uti sunt episcopatus, abbatiae, et cetera hujusmodi. Quaedam vero a regibus conceduntur plenario, sive liberae collationis jure, et nulla indigent institutione, sed ipsa concessio dicitur collatio. Cujus quidem regiae collationis jura plura sunt in hoc Regno, nempe Prioratus, Canonicatuum, et aliorum beneficiorum ecclesiae S. Nicolai Barensis; Ecclesiae Archipresbyteralis Altamurae; et medietatis Canonicatuum Ecclesiae Episcopalis

Lucerinae in Apulia, quae distincte recensentur per Chioccarellum *tom.* 7. *archiv. tit.* 1. 2., *et* 3. Vide eumdem Chioccarellum *loc. cit.*, ac Thomasinum *P.* 4. *lib.* 2. *cap.* 21., et Gagliardum *de jurep. cap.* 3. *pag.* 55.

CAPUT XIII.

De jurepatronatus feudali.

Dicitur feudale juspatronatus, si feudo adnexum sit. Itaque successio in hujusmodi juspatronatus eodem jure fit, ac in juspatronatus reale, cum et ipsum juspatronatus reale dicatur; ideoque transit in feudi successorem, ut patet *ex cap.* 13. *de jurep.*

CAPUT XIV.

De jurepatronatus privato.

Dicitur privatum juspatronatus, non quod soli privato competit, cum competere possit etiam Baroni, seu feudatario; sed quod sive privato, sive Baroni, seu feudatario competit titulo diverso, scilicet non jure feudi, sed jure allodii, seu burgensatico. Quod potest esse etiam reale, aut personale pro diversa specie jurispatronatus, nempe alicui rei adnexum, aut ad aliquam personam pertinens.

CA-

CAPUT XV.

De jurepatronatus hereditario.

JUspatronatus dicitur hereditarium, si ad heredes etiam extraneos pertineat, seu pro heredibus, et successoribus sit reservatum; accedente praesertim observantia, ut heredes praesentaverint sine qualitate sanguinis, et in stirpes, non in capita (*a*). Verum quoad observantiam *decisio pendet a singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis, ex quibus resultat, quod eaedem conjecturae, ac adminicula in uno casu approbata, in alio autem reprobata habeantur*, ut inquit Cardinalis de Luca (*b*). Transit ad heredes etiam extraneos, quia, cum juspatronatus hereditarium jure dumtaxat hereditario deferatur, transit ad quoscumque successores sive de sanguine, sive extraneos, sive ab intestato, sive ex testamento (*c*). Et primo transit ad heredes usufructuarios durante usufructu, ut dixi supra in *Cap. III. praeced.*; deinde ad heredes proprietarios (*d*): quibus si addatur dictio *quibuscumque*, nempe si dicatur *pro heredibus, et successoribus quibuscumque*, eam tam universaliter, quam particulariter institutos

 com-

(a) Piton. *alleg.* 69. *n.* 5., Fargna *P.* 2. *can.* 1., *et* 2. *cas.* 6. *n.* 3., *et* 14., *et cas.* 8. *n.* 1.
(b) *De jurep. disc.* 23. *n.* 3., *et* 4.
(c) *Clementin. plures, de jurepatron.*
(d) Fagnanus *ad cap. ex litteris* 7. *de jurep.*

complecti definivit Rota (*a*). Tam generaliter, inquam, quam particulariter institutos, quia de jure juspatronatus ordinarie transit cum universitate bonorum (*b*), cum particulariter, seu in re certa institutus proprie heres non dicatur, sed legatarius. Ideo in juspatronatus non succedit (*c*), nisi a testatore vocetur ad successionem per dictam dictionem *quibuscumque*, ut existimavit Rota; aut in defectum heredis universalis, quia tunc juspatronatus transit ad heredem particulariter, seu in re certa institutum, sive quia per jus accrescendi universa hereditas consolidatur in ipso, sive per axioma illud legale, quod *testator decedere non potest pro parte testatus, et pro parte intestatus* (*d*); aut si juspatronatus fuerit a testatore specialiter legatum heredi ab ipso particulariter, seu in re certa instituto, de consensu tamen Episcopi (*e*), cum sine Episcopi assensu id fieri nequeat, nisi heres particulariter institutus, cui juspatronatus legatum fuit, sit etiam compatronus (*f*), aut ecclesia, vel alius locus religiosus (*g*), juxta ea, quae superius dixi,

In-

(a) Ap. Fargnam *P*. 2. *can*. 1., *et* 2. *cas*. 6. *n*. 14.
(b) *Cap. ex litteris, de jurep.*
(c) Piton. *alleg*. 69. *n*. 24., *et* 25.
(d) Anan. *cons*. 36.: Calderin. *cons*. 2.. Fargna *P*. 2. *can*. 1., *et* 2. *cas*. 4. *n*. 3.. Vivian. *lib*. 4. *cap*. 2. *n*. 53.
(e) Fargna *loc. cit. n*. 4., *et* 5.. Lambertin. *de jurep. lib*. 1. *part*. 2. *qu*. 1. *artic*. 9. *n*. 1.. De Curte *de jurep. verb. is vel ipse, a quo n*. 33.
(f) Vivian. *de jurep. lib*. 4. *cap*. 1. *n*. 31.
(g) Butr. *in dict. cap. cum seculum, de jurep. n*. 2. Fargna *loc. cit. n*. 6., *et*. 7.

Institutus autem in re certa dicitur etiam heres institutus in legitima tantum, si adsit alter heres universaliter institutus, quia legitima dicitur jus quoddam universale, sed non dicitur bonorum universitas, cum qua transit juspatronatus, ut loquuntur doctores (*a*). Cum igitur juspatronatus deferatur juxta ordinem successionis, hinc oritur, ut apud nos per notam Constitutionem Regni *In aliquibus*, transeat ad masculos, foeminis exclusis. Et in Civitate Neapolis, si juspatronatus sit antiquum, pro medietate spectat ad lineam paternam, si sit paternum, aut maternam, si sit maternum, pro altera medietate ad heredes ultimi morientis sive ab intestato, sive ex testamento, modo sit intra districtum, per legem municipalem, seu Consuetudinem *Etsi testator*, *tit. de success. morientis sine filiis ex testamento*, quae statuit, ut in bonis antiquis morientis sine liberis intra districtum existentibus succedant pro medietate sive agnati, sive cognati ex linea sive paterna, sive materna, ex qua bona obvenerunt; et quidem non ex *providentia*, *sed jure successionis universalis* juxta receptam Napodani sententiam in *tit.* 2. *de succes. ex testam. in Consuet. si aliquis* (*b*).

Heres autem universalis nequit juspatronatus capere ante aditionem hereditatis, quae de jure peti potest infra 30. annos, neque in foro admit-

 titur

(a) Bartolus *in l. ex facto ff. de hered. instit. col.* 2. Fargna *loc. cit. cas.* 5. *n.* 10.

(b) Nic. Cyrill. Episc. Neocastrens. *quaest. jur. cap.* 40.

titur ad praesentandum, nisi constet de dicta hereditatis aditione, licet sit filius. Aditio namque hereditatis utpote in facto consistens de jure non praesumitur, sed probari debet (*a*), sive per fidem praeambuli, sive per actus immissionis in hereditatem, ex quibus constet se pro herede gessisse, ut quotidie praxis obtinet in foro ecclesiastico: nam *gerit se pro herede, qui animo agnoscit successionem*, ut inquit Paulus in *l.* 88. *ff. de acquirend., vel omittend. heredit.*. Pro aditione vero hereditatis intelligitur *actualis apprehensio possessionis, scilicet qualitas hereditaria in actu, quod nempe quis adiverit hereditatem, ejusque bona, et jura possideat*, ut loquitur Pitonius (*b*), quod limitat idem Pitonius (*c*); ideoque sufficere hereditariam qualitatem *in habitu docet, quando is, qui praesentavit, reperitur clare vocatus ad bona, sed haec non possidentur ab ipso, ex quo retineantur indebite occupata per tertium*, ut refert ipso scribente definivisse Rotam; aut si praesentatio fiat per monasterium, quod hereditatem adire eo ipso, quod praesentat, definivit Rota (*d*). Utrum vero, si constet alicui jus hereditarium sive directe, sive oblique delatum esse, ipsa praesentatione, vel alio actu, qui citra jus patroni fieri nequit, dicatur adiri hereditas, vide Card. de Luca *de jurep.* *disc.*

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 5.

(b) *Alleg.* 100. *n.* 167.. Vivian. *de jurep. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 10., *et* 11.

(c) *Loc. cit. n.* 168.

(d) Ap. Piton. *alleg.* 66. *n.* 26. 27., *et* 28.

diſc. 60. *n.* 6., et Franciſcum Fargnam *P.* 2. *can.* 1., *et* 2. *cas.* 3. *n.* 5.

Si heres ſit filius, & repudiaverit hereditatem, nullum ei deberi jus ſuper jurepatronatus hereditario docent doctores communiter (*a*); ſecus vero erit, ſi tantum ſe abſtinuerit ab hereditate (*b*), aut in judicio negaverit ſe eſſe heredem ad vitandam ſolutionem debitorum hereditariorum, & moleſtias Tribunalium, ut pluries definiviſſe Rotam refert Fargna (*c*); niſi alter legitimus poſſeſſor hereditatem adiverit, quia cum juspatronatus ſit hereditarium, ſequitur heredem, qui poſſidet hereditatem. Imo ſi, non adita hereditate, fuit ei jacenti datus Curator a Judice, ad Curatorem pertinet quoque exercitium juriſpatronatus nomine tum defuncti, tum heredis declarandi (*d*); & hereditate adita, ad Tutorem, Balium, & Curatorem hereditatis, vel alium legitimum adminiſtratorem, ſi patronus ſit ſub tutela, aut legitima alterius adminiſtratione (*e*), quo tamen nomine legitimi Adminiſtratoris quoad hoc non intelligitur Curator Patrimonii in concurſu creditorum, ad quem proinde exercitium juriſpa-

(a) Vivian. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 9.

(b) *Can. conſiderandum, caus.* 16. *qu.* 7. Gloſſa *ad dict. can. verb. conſiderandum, lit.* D.

(c) *P.* 2. *can.* 1. & 2. *cas.* 18.

(d) Fargna *P.* 2. *can.* 14. & 15. *cas.* 3. *n.* 2. Piton. *alleg.* 38. *n.* 3., & *alleg.* 14. *n.* 7. Rota ap. Piton. *poſt alleg.* 14. *n.* 17.

(e) Piton. *alleg.* 38. *n.* 3. & *diſcept. eccleſ.* 4. *n.* 92. & 93.

tronatus non pertinet, sed ad patronum (a). Neque ad creditores pertinet, ut supra dixi, si bona ipsi possideant jure pignoris, quia juspatronatus affici non potest hypotheca creditorum, ut definivisse quoque Rotam refert idem Fargna (b). Transit vero ad Fiscum cum hereditate, si hereditas sit vacans, deficientibus heredibus legitimis (c).

Hereditate vero per modum fideicommissi relicta, juspatronatus non ad heredem fideicommissarium transit, sed ad heredem fiduciarium pertinet cum Quarta Trebellianica, quae de jure debetur heredi fiduciario in hereditate fideicomissaria (d), saltem juxta opinionem Bartoli, quae in Rota, & Curia *recepta est pro regula*, ut testatur Cardinalis de Luca (e), rejecta contraria opinione Romani. *Quamvis autem* (subjicit idem Cardinalis de Luca (f)) *haec opinio in disputativa, seu discursiva ratione nullum vere probabile fundamentum habere videatur, cum Bartolus, & alii antiquiores, non redacta forsan hac materia jurispatronatus in beneficiis ecclesiasticis ad eam formam, quam habemus, sive eis non bene cognita &c., processerint cum*

(a) Salgado *in labyrint. credit. P.* 1. *cap.* 14. *n.* 89.
(b) *P.* 2. *can.* 1. & 2. *cas.* 18. *n.* 29. Merlin. *de pignor. lib.* 2. *qu.* 22.
(c) Peregrin. *de jure Fisci*, *lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 72., *aliique apud* Fargnam *P.* 2. *can.* 1. & 2. *cas.* 10. *n.* 21.
(d) Peregrin. *de fideic. art.* 6. *n.* 37. *qu.* 634. *n.* 2.
(e) *De jurep. disc.* 36. *n.* 3. Rota *apud* Fargnam *P.* 2. *can.* 16. 17. 18. 19. 20. *post cas.* 6. *n.* 23. & 24.
(f) *Loc. cit. n.* 4.

cum quodam leguleico sensu derivante a jure civili in iis, quae jura sepulchrorum secundum illum gentilem usum, vel juspatronatus libertorum percutiunt, ac de super disponuntur: attamen quia Rota antiqua cum hoc sensu processit, modernae vero recte id agnoscenti in quamdam reverentiam antiquitatis visum est ab ea non recedere.

Ab hac tamen regula passim receditur, ubi ex levibus etiam, & generalibus conjecturis constet de contraria voluntate fideicommittentis, ut verbis utar Cardinalis de Luca (*a*), & Francisci Fargna (*b*), prout patet ex ipsius Rotae decisionibus per ipsos relatis, nempe ut etiam juspatronatus ad heredem fideicommissarium transferatur. Et optima quidem ratione, nempe quia *erectiones beneficiorum de jurepatronatus non solum habent motivum pietatis, sed etiam illud honorificentiae, ac provisionis descendentium*, ut optime ad rem animadvertit idem Cardinalis de Luca (*c*). Itaque tamquam hereditarium tunc transit ad quemcumque heredem fideicommissarium universalem, ut post scribentes in *cap. ex litteris*, et *cum saeculum, de jurep.* concludit Molina *de Primogenitura Hispanica* (*d*), et Lotterius *de re bneficiaria* (*e*), non vero ad heredem fideicommissarium particularem, *quia juspatronatus non venit sub fideicommisso particulari restricto ad certa bona*, ut post alios recte animadvertit Pitonius (*f*).

An-

(a) *Loc. cit. n.* 4.
(b) *Loc. cit. n.* 24.
(c) *Loc. cit. n.* 6.
(d) *Lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 18. *verb. quibus obstat.*
(e) *Lib.* 2. *qu.* 15. *n.* 37.
(f) *Alleg.* 46. *n.* 11.

Ante Clementinam *Plures*, *de jurep.* non levis quaestio erat inter Canonistas super modo succedendi in juspatronatus hereditarium. Innocentius in *cap.* 1. *de jurep.* loquens in terminis juris civilis §. *cum filius*, *verb. et quia placuit*, *Instit. de heredit.*, *quae ab intestato deferuntur*, scripsit pro successione in stirpes. Contrariam sententiam, nempe successionem fieri in capita, tuebantur Vincentius, et alii. Archidiaconus vero in *can. si plures*, *caus.* 16. *qu.* 7. mediam amplexus sententiam docuit, quod aut plures ex diversis causis sunt patroni, puta quia unus fundavit seu construxit, alter dotavit, et tunc successio inter heredes fiat in stirpes; aut sunt patroni ex unica causa, vel unicus est patronus, et successio fiat in capita. Ad dictam quaestionem dirimendam, et tollendas fraudes inter patronos successionem fieri in stirpes juxta doctrinam Innocentii decrevit Clemens V. in dicta Clementina *Plures*, *de jurep.*, ubi dixit: *Plures ab uno ex patronis Ecclesiae relicti heredes vocem dumtaxat unius habebunt in praesentatione Rectoris*. Deinde subdidit: *Et ut facilius provideatur Ecclesiis, non inconveniens reputamus patronos ipsos inter se posse libere convenire de Rectore ab eis alternis vicibus praesentando: quibus etiam ex eadem causa permittimus, ut plures ad vacantem Ecclesiam possint eo modo praesentare personas, quod una ex eis eligi per Episcopum valeat, et admitti*.

Hinc patet quatuor opportune hic decrevisse Clementem V., nempe in juspatronatus hereditarium patronos succedere in stirpes, non in capita: posse plures clericos accumulative praesentare, quod tamen intellige, si patroni laici sint, ut superius dixi: posse dividere exercitium jurispatronatus per tur-

turnum, et alternativam: et plures denique praesentare posse personas, adeo ut in arbitrio Episcopi sit, quam maluerit ex iis, instituere ad vitandas dissensiones, si contingat *ut de persona praesentanda inter patronos non conveniat*, ut inquit Wan-Espenius (*a*). Et licet *leges, et constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari*, ut inquiunt Imperatores Theod. et Valent. in *l. 7. cod. de legibus, et constitut. princip.*, seu leges habere, ut vulgo dicitur, oculos ante, non retro, nempe *pro futuris negotiis, non pro futuris litibus de negotio aliquo, quod confectum fuerit ante novam legem*, ut explicat Perezius in expositione dicti Textus in *Comment. ad Lib. 12. Cod. lib. 1. tit. 14. n. 7.*: attamen, cum hic agatur de decisione, seu declaratione juris dubii, nempe de decisione edita *ad dirimendas antiquas quaestiones*, ut loquitur Cardinalis de Luca (*b*), complectitur juspatronatus erectum etiam ante dictam Clementinam, quicquid alii dicant (*c*).

Interdum tamen (inquit idem Perezius *loc. citat. n.* 8.) *leges in praeteritum tempus vim suam extendunt. Quid enim, si nihil novi inducant, vel jus vetus declarent, confirmentve, vel ejus abusum tollant? . . . quod cum accidit, ne jus alteri quaesitum auferatur, interpretamur legem ad res quidem ante factas, et natas, sed nondum judicio, vel transactione decisas pertinere*; idest *exceptis iis, quae non de-*

(a) *Tom. 3. part. 2. sect. 3. tit. 8. cap. 5. n. 42.*
(b) *De jurep. disc. 61. n. 6.*
(c) Fargna *P. 4. can. 2. cas. 1. n. 1. et 2.* Rota *dec. 99. P. 17. rec.*

decreto, *aut transactione sunt terminatae*; *quaestionibus*, ut inquit Imperator Justinianus in *novell.* 19. *in praefat.* Nam, *si lex nova interpretetur veterem*, *retrotrahetur ea declaratio ad tempus veteris legis*, ut inquit Duarenus ad *lib.* 1. *Digestorum*, *tit.* 3. *cap.* 4. §. *igitur cum legis*, *pag.* 9. Et ita praxis obtinet, quam testatur praesertim Wan-Espenius (*a*), sive heredes sint ab intestato, sive ex testamento, sive sui, sive extranei, sive masculi, sive foeminae, sive juspatronatus sit hereditarium, sive mixtum, idest gentilitium, aut familiare simul, et hereditarium (*b*): nisi observantia sit contraria, nempe ut patroni praesentaverint in capita, et non in stirpes (*c*): vel nisi aliter in fundatione statutum fuerit, uti notat de Roye (*d*). Cum enim juspatronatus censeatur quid temporale, ut loquuntur doctores, et tamquam portio patrimonii, aut titulo saltem patrimonii acquisitum, ad heredes omnes transit (*e*), et quidem in solidum, non quia juspatronatus sit apud heredes in solidum quoad praesentationem, ut recte notavit Innocentius (*f*), sed quia omnes patroni in solidum concurrunt ad faciendam unam praesentationem repraesentando personam defuncti, a quo jus habent (*g*).

In

(a) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 17. *ad* 21.

(b) Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 1.

(c) Vivian. *de jurepatr. P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 64., Fargna *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 1. *n.* 4.

(d) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 19. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 18.

(e) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 17.

(f) *Ad cap.* 1. *de jurep.*

(g) Wan-Eſpen. *loc. cit. cap.* 4. *n.* 19. *ad* 21.

In capita quoque praesentant heredes ex familia vocata immediate instituti, si vocati sint *collegialiter*, & *tamquam unum corpus*, ut loquuntur doctores, aut heredes unius patroni immediate pariter instituti, licet successores de familia, aut patroni instituti succedant in stirpes (*a*). Itaque si plures sint heredes, ex. gr. Cajus, Titius, Sempronius, et Cajus reliquerit quatuor filios, Titius sex, et Sempronius octo, tanta est vox quatuor filiorum Caii, quanta sex Titii, et octo Sempronii, cum in eis considerentur stipites principales, quos repraesentant; adeo, ut si quatuor filii Caii praesentent clericum A., sex filii Titii praesentent clericum B., et octo filii Sempronii praesentent clericum C., clericus C. praesentatus ab octo filiis Sempronii non habeat majorem vocem, quam clericus A., et clericus B. (*b*), sed omnes sint in paritate vocum; *quoniam inter eos* (inquit Cardinalis de Luca (*c*)) *concursus est absque dubio in stirpes, non autem in capita ad repraesentandum, seu constituendum proprium stipitem, ita ut tot sint voces, quot erant primi adquirentes aequaliter vocati, quarum quaelibet constituatur ab heredibus, et successoribus singulorum respective, non curato an ex uno plures, et ex altero minores supersint, cum tanta sit vox unius suum auctorem repraesentantis, quanta sit illa centum, qui alterum repraesentant, juxta*

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 1. & 4. Vivian. *lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 7. *ad* 10.

(b) Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 4. Vivian. *P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 60.

(c) *De jurep. disc.* 61. *n.* 8.

ta claram , ac litteralem decisionem dictae Clementinae editae , ut dictum est , ad antiquas quaestiones dirimendas . Atque si ab initio essent tres , vel plures stipites, et jura duorum in uno consolidata essent, jura vero tertii divisa essent in plures , adhuc inaequalis erit concursus per stirpes , admisso solo concursu per capita inter seipsos ad quamlibet respective stirpem constituendam ex collectis per Vivianum &c. et passim , cum haec hodie videantur extra quaestionem .

Verum ut heredes perficiant integram vocem stipitis principalis , quem repraesentant , docet Fargna (*a*) post Lambertinum , et Roch. de Curte , ut ad praesentandum concurrere debeat major pars *simpliciter*, non *comparatione minorum* , ut doctores distinguunt apud Vivianum (*b*) . Si enim ex. gr. ex octo filiis Sempronii quatuor praesentent clericum C. , duo clericum D. , et duo clericum E., praesentatio habetur , ac si facta non esset , quia licet illi quatuor faciant majorem partem comparatione minorum , non faciunt tamen majorem partem simpliciter , seu non faciunt integram vocem stipitis principalis , quem repraesentant , pro qua debent saltem quinque concurrere ad praesentandum, quia quinque faciunt majorem partem unius vocis spectantis ad Sempronium eorum stipitem principalem , ut subjicit idem Fargna (*c*) , qui ex ejusdem Lambertini sententia subdit , *ut praesentatio perficiatur &c. , licere alteri parti illarum*

(a) *Loc. cit. cas.* 1. *n.* 8.
(b) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 7. , & 8.
(c) *Loc. cit. cas.* 1. *n.* 8.

rum minorum partium . . . . accedere ad majorem ; sumpta paritate a praesentatione, quae fit per Collegium, aut Universitatem. In qua *requiritur* (inquit ipse (*a*)), *quod vel omnes, vel saltem major pars illius repraesentet collegium tamquam unam personam*, juxta distinctionem, quam communiter docent doctores (*b*) inter praesentationem, quae fit *jure collegiativo*, et *jure singulari*; nempe ut in jure praesentandi collegiativo *attendatur ad conclusionem majoris partis excessus medietatis comparatione omnium praesentantium*, ut phrasi loquar Cardinalis de Luca (*c*) : in jure autem praesentandi singulari *attendatur major numerus comparatione minoris*; ideoque si ex decem patronis *duo praesentent unum, tres alterum, unus alterum, et quatuor alterum, ille, qui habebit quatuor voces, instituendus erit, utpote praesentatus a majori parte, seu habens majores voces*, ut subjicit idem Cardinalis de Luca.

Deinde loquens de praesentatione, quae spectat ad plures stipites, aut ad plures familias, seu lineas absolute, docet contra dictam Lambertini sententiam relatam a Fargna, quod *ad singulas voces efformandas attenditur supradictus ordo praescriptus in praecedenti casu, quo plures personae singulari jure, non autem in formam collegiativam, concurrant ad suam vocem, sive suum genus efformandum, ut scilicet attendatur major pars praesentantium, non comparatione totius, sed comparatione minoris.*

Idem

(a) *Loc. cit. caſ.* 3. *n.* 5.
(b) Ap. Card. de Luca *de jurep. diſc.* 61. *n.* 17.
(c) *Loc. cit. n.* 17.

Idem quoque docet Pitonius (*a*), *tamquam in re clara*, ut ipse ait, qui loquens de exercitio jurispatronatus in plures lineas diviso, et de differentia inter juspatronatus pertinens ad collegium et juspatronatus pertinens ad familiam, optime ad rem animadvertit differentiam vel ex eo patere, quod *juspatronatus spectans ad collegium, aliquibus extinctis, accrescit ipsi collegio; spectans autem ad familiam potest pro parte remanere in familia, et pro parte fieri hereditarium, si in una linea, aut ramo generatio defecerit*. Et scribens in quadam Piscien. jurispatronatus (*b*), de jurepatronatus, seu jurispatronatus exercitio diviso per uncias, nempe hereditario, suum votum emisit in *sensu veritatis*, ut ipse ait (*c*), ut sufficiat praesentatio majoris partis *comparatione minoris* juxta theoriam Panormitani ab ipso relatam (*d*).

Illa igitur distinctio supra relata inter concursum majoris partis *simpliciter*, et *comparatione minorum* accipienda est de praesentatione, quae fit per collegium, seu *jure collegiativo*, aut de praesentatione *jure singulari*, in qua praesentati non sint plures, quam duo, nempe alter praesentatus a majore patronorum parte, alter a minore. *Secus quando sunt plures patroni, qui discordant in praesentando; tunc enim praefertur praesentatus a majori parte comparatione minorum partium*, ut animadvertit idem Vivianus supra relatus (*e*). *Et sic facienda est comparatio numeri*

(a) *Alleg.* 9. *n.* 31. §. *hinc in jurepatronatus*.
(b) *Alleg.* 100. *post num.* 314.
(c) *Loc. cit.* §. *hinc idem*, *et n.* 315. *et seq.*
(d) *Loc. cit. n.* 316.
(e) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 8.

meri ad numerum, ad hoc ut praesentatus a majori parte institui possit, ut subjicit ipse (*a*) loquens de jurepatronatus hereditario; licet antea (*b*) ex sententia Cardinalis in Clementina *Plures*, *de jurep.* dixerit majorem partem heredum comparatione minorum non sufficere, *quia cum sit una vox, est apud omnes, vel apud majorem partem omnium praedictorum*.

Facta autem praesentatio a majore parte patronorum dicitur perfecta, non secus ac si facta esset ab omnibus, adeo ut, si duo ex sex filiis Titii, et duo, vel tres ex filiis Sempronii praesentent clericum A. praesentatum a quatuor filiis Caii, clericus A. non habeat majorem vocem, sed omnes praesentati sint in paritate vocum, et detur locus gratificationi, ut infra dicam loquens de gratificatione. Nam praesentatio facta clerici B. a quatuor ex sex filiis Titii, et praesentatio clerici C. facta a sex ex octo filiis Sempronii, uti factae a majore parte patronorum, perinde habentur, ac si factae essent ab omnibus, cum major pars in unoquoque stipite absorbeat, seu suffocet minorem, ut loquuntur, et docent doctores communiter (*c*). Quod et in jurepatronatus gentilitio vim obtinet, si pluribus et distinctis lineis reservatum fuerit (*d*), *dum non habetur ratio personarum*,

(a) *Loc. cit. n.* 11.
(b) *P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 65.
(c) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.*1. *n.*6. *et* 7., *et cas.* 3. *n.* 7. *et seq.* Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 5. *et* 9.
(d) Piton. *alleg.* 100. *n.* 364. *et* 365., *alleg.* 25. *n.* 16. §. *difficultas*.

rum, sed corporum, seu stipitum, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*).

Quod autem de stipitibus principalibus dixi, et de stipitibus *subalternis* est intelligendum. Etenim est regula juris indubitata, et communiter a doctoribus (*b*), et in foro recepta, quoad juspatronatus hereditarium in plures voces divisum, seu in plures stipites principales, qui plures stipites subalternos habeant, seu plures heredes, et successores, ut ad constituendam unam ex vocibus spectantibus ad stipites principales omnes stipites subalterni, vel major pars eorum concurrere debeant ad praesentandum. Cujus quidem regulae juris hanc potissimam doctores rationem adferunt; nempe quod, cum stipites subalterni sint loco unius stipitis principalis, omnes simul sumti pro singulari persona habentur.

Itaque in specie allata si Cajus, et Titius stipites principales plures heredes habuerint, nempe Cajus tres heredes A., B., et C., et unusquisque eorum plures etiam heredes habeat, ex. gr. A. duos, B. alios duos, et C. quinque, Titius autem unum habuerit heredem D., qui quinque heredes habeat, et vacato beneficio, duo heredes A. praesentaverint unum clericum, duo heredes B. alterum clericum, et quinque heredes C. alium clericum, ex heredibus vero D. quatuor praesentaverint unum clericum, et unus praesentaverit eundem clericum praesentatum a quinque heredibus C., nulla dicitur

---

(a) *De jurep. disc.* 61. *n.* 20.
(b) Ap. Fargnam *P.* 4. *can.* 2. *caſ.* 3.

citur ex parte heredum Caii facta praesentatio. Quia cum juspatronatus sit hereditarium, et divisum in duas voces spectantes ad duos patronos principales, seu *originarios*, ut appellantur a doctoribus, nempe Cajum, et Titium, una vox Caii rapraesentatur a tribus stipitibus subalternis, nempe a duobus heredibus A., a duobus heredibus B., et a quinque heredibus C., utpote in stirpes succedentibus: altera vox Titii repraesentatur a quinque filiis D.. Itaque ad constituendam integram Caii stipitis principalis vocem necesse eſt, ut omnes stipites subalterni, seu omnes heredes, et successores stipitis principalis, vel major pars stipitum subalternorum comparatione minoris partis concurrant ad praesentandum, adeo ut si stipites subalterni dividant voces in aequales partes, praesentationem non concludant. Solus igitur praesentatus a quatuor ex quinque filiis D. dicitur legitime praesentatus, et instituendus eſt, nulla habita ratione praesentationis factae ab uno ex dictis quinque heredibus D. ad favorem clerici praesentati a quinque heredibus C., quia major pars in unoquoque stipite sive principali, sive subalterno suffocat, et absorbet minorem ex recepta Lap. theoria in dicta Clementina *Plures* (*a*).

Utrum vero heredes aequaliter, an inaequaliter succedant ad juspatronatus juxta aequalem, aut inaequalem partem hereditatis, quam possident, non una est doctorum sententia. Ex natura

 juris-

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 3. *n.* 5. *ad* 7. Rota *in Firmana benefic.* 19. *Januarii* 1711. *coram Lancetta impressa ap.* Fargnam *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 3. *n.* 14. *et* 15.

jurispatronatus individua deducit Hostiensis ad *cap.* 1. *de jurep.* heredes aequaliter succedere, sive pro aequali, sive pro inaequali parte heredes sint; idque probare videtur Glossa ad *can. si plures, verb. communi, caus.* 16. *qu.* 7.. Idem sentire videtur de Roye (*a*) citans pro eadem sententia *l. viae ff. de servitutibus*, ubi Pomponius ait, quod *viae, itineris, actus, aquaeductus pars in obligationem deduci non potest, quia usus eorum indivisus est; et ideo si stipulator decesserit pluribus heredibus relictis, singuli solidam viam petunt*. Item *l.* 25. *ff. familiae ercisc.* §. 9., ubi Paulus quaerit, *an ea stipulatio, qua singuli heredes in solidum habent actionem, veniat in hoc judicium etc., veluti si is, qui viam, iter, actum stipulatus erat, decesserit, quia talis stipulatio per legem XII. Tab. non dividitur, quia nec potest*: et respondet: *verius est non venire eam in judicium, sed omnibus in solidum competere actionem*. Et denique *can. nihil, caus.* 7. *quaest.* 1. qui res spirituales appellat *individuas*.

Idem tradit Glossa ad *cap.* 1. *de jurep. verb. non debeat, litt. D.*, et aperte docet Wan-Espenius (*b*), nisi *per tabulas fundationis, aut locorum consuetudines circa successionem jurispatronatus aliud cautum fuerit*, ut subjicit Wan-Espenius (*c*), puta si quis reservaverit juspatronatus *Cajo, Maevio*, et *Sempronio, necnon etiam Titio*: nam illi primi tres con-

---

(a) *In Prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 19. §. *sed eam rejicit*.

(b) *Loc. cit. cap.* 4 *n.* 18. §. *cumque*.

(c) *Loc. cit. cap.* 4. *n.* 25. Maranta *controv. forens. P.* 5. *resp.* 30. *n.* 28.

conjunctim vocati habent medietatem vocis, alteram medietatem habet Titius uti seorsum vocatus, ut tradit Cardinalis de Luca (*a*).

Verum Cardinalis de Luca (*b*), relatis diversis Canonistarum opinionibus super intelligentia dictae Clementinae *Plures*, *de jurep.* circa aequalem, aut inaequalem successionem in exercitium jurispatronatus hereditarii, respondet objectionibus contra deductis ex natura jurispatronatus individua; nempe quod, licet juspatranatus quoad proprietatem sit individuum, quoad exercitium tamen est dividuum, adeo ut tam quoad jus praesentandi, quam quoad alia jura patronatus successio fiat inaequaliter per partes, seu quotas hereditatis, et tam in primis heredibus, quam in heredibus posterioribus, *juxta illam divisionem* (ut ipse inquit (*c*)), *quae datur in fructibus, et emolumentis feudi, quamvis de sui natura individui*. Quibus verbis alludit ad illam feudorum qualitatem, quae individua *quoad substantiam*, dividua sunt *quoad fruendi modum*, seu *commoditatem*, ut distinguunt doctores, juxta Longobardiae, aliorumque Italiae locorum consuetudinem, quam testatur Bald. Belvis., Alvarot., aliique communiter in *cap. Imperialium* §. *praeterea tit. de prohib. feud. alienat.*, et inter ceteros doctores ipse Cardinalis de Luca in suo opere *de feudis* (*d*). Et ita quoad juspatronatus refert idem Cardinalis de Luca (*e*), praxim, et consuetudinem

 obti-

(a) *De jurep. disc.* 61. *n.* 3.
(b) *De jurep. disc.* 61. *n.* 3. *et* 4. *in fin.*
(c) *Loc. cit. n.* 5. *et* 6.
(d) *Disc.* 8. *n.* 8., *et* 9.
(e) *De jurep. disc.* 61. *n.* 5. *et* 6.

obtinere non solum Neapoli, sed ubique, *quidquid desuper in disputativa scholastica ratione dicendum sit*, ut ipse subjicit.

Itaque divisa inaequaliter hereditate inter quatuor fratres A., B., C., D., ex. gr. in quinque partes, quarum duae partes spectarent ad A., et aliae tres partes ad B., C., D., et per obitum dicti D. subdivisa ejus parte in tres partes dictis tribus fratribus A., B., C., juspatronatus quoad ejus exercitium spectaret pro duabus partibus cum una tertia parte ad A., et pro aliis duabus partibus cum reliquis duabus tertiis partibus ad B., et C.; adeo ut praesentatus a fratribus B., et C. praeferendus sit praesentato ab A. habente minorem partem, ut non pauci doctores docuerunt (*a*).

Utrum vero heredes habentes majorem partem hereditatis majorem quoque jurispatronatus partem habeant, seu pluralitatem vocum, aut vocem dumtaxat pinguiorem, quaerunt doctores. Cardinalis de Luca (*b*) absolute docet habentes majorem partem hereditatis majorem quoque jurispatronatus partem quoad exercitium habere. Itaque habentes ex. gr. duas partes hereditatis, nempe duas uncias, duas quoque voces habent in exercitio jurispatronatus hereditarii juxta doctrinam Cardinalis de Luca, quam clarius explicat Pitonius (*c*), et alii doctores sequuntur (*d*). Contrarium

(a) Vivian. *de jurep. lib.* 4. *P.* 1. *cap.* 2. *n.* 1. Capon. *discept.* 66. *n.* 4. Fargna *Part.* 2. *can.* 1., *et* 2. *cas.* 5. *n.* 9. §. *quoad secundum dubium*.

(b) *Loc. cit. n.* 5. 6., & 8.

(c) *Discept. eccles.* 4. *n.* 29. §. *sed difficultas est*.

(d) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 5. *n.* 9.

rium docuit Lambertinus (*a*), et videtur nonnullis dixisse Rotam in *Lauden. Canonicatus* 27. *Junii* 1696. §. *cessare*, *coram Emerix*, et 3. *Martii* 1697. §. *individuitas*, *coram Tremoille*: videtur, inquam nonnullis dixisse Rotam, quod ex ipsius Rotae decisionibus aperte non patet. Nam testatur Pitonius (*b*), quo scribente fuerunt latae dictae decisiones, Rotam dumtaxat approbasse dictam doctrinam Cardinalis de Luca ab ipso allegatam, ut jurispatronatus exercitium tanquam dividuum deferatur per uncias, seu quotas, ut loquuntur doctores, hereditarias: neque *in abstracto*, ut inquit Pitonius, definivisse in *dict. decis. coram Emerix*, ut habentes majorem partem hereditatis haberent vocem pinguiorem; sed *in concreto* dixisse, ut vox pinguior in paritate vocum praeferatur. In altera autem decisione *coram Tremoille* definivisse, ut ad hujusmodi heredes spectaret vox pinguior, idque probasse per supradictam doctrinam Cardinalis de Luca, *ostendendo* (ut ait idem Pitonius) *quod jus patronatus quoad exercitium, deferatur per uncias, et quotas: quod sane non probat* (subjicit ipse) *assumptum vocis pinguioris, sed pluralitatis vocum, dum heres institutus in duabus partibus hereditatis dicitur habere duas voces, non unam pinguiorem, et in concursu non erit locus gratificationi, nec habebit locum gratificatio in paritate, sed bene praesentatus debebit institui privative ad alium tamquam praesentatus per ma-*

(a) *De jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 1. *artic.* 24. *n.* 8., & *lib.* 2. *part.* 3. *qu.* 5. *artic.* 16. *n.* 5.
(b) *Dicta discept.* 4. *n.* 29. §. *sed difficultas*.

majorem partem vocum. Sunt enim inter se valde diversa ista duo, quod nempe quis habeat vocem pinguiorem, quodque habeat pluralitatem vocum distinctam per uncias, et quotas.

Deinde referens communem, ut ipse ait, opinionem concludit: *in hac difficultate teneas communem opinionem, quod in primis heredibus aequaliter juspatronatus deferatur, quodque coheres in majore parte institutus solum habeat vocem pinguiorem, sicut tenet Lambertinus, et sensus Rotae in allegatis decisionibus Lauden.. Respondebo autem ad doctrinam Cardinalis de Luca, quod ipse supponit consuetudinem, juxta quam juspatronatus dividitur per uncias, et quotas, vigere non solum in Regno Neapolis, sed ubique, in quo supposito facti, ei non est credendum. Distinctio vero inter proprietatem, et exercitium jurispatronatus procedit in heredibus mediatis, qui succedunt in stirpes, non in primis succedentibus in capita: quia in ipsis juspatronatus manet in solidum, exercitium vero, licet sit dividuum per uncias, et quotas, debet tamen divisio ostendi aut per observantiam, aut per concordiam, aut per consuetudinem universalem Regni. Nam alias ipso jure non dividitur, sed manet in solidum, ita ut unus ex heredibus praesentando habeat quidem vocem pinguiorem, si habet majorem partem hereditariam, non tamen habeat duas voces distinctas per divisionem quantitativam.*

Ut meam libere proferam sententiam super ista Pitonii, et communis doctorum opinionis ab ipso allatae distinctione, ingenue fateor eam haud ulla probabilitate fulciri. Ideo enim doctores dicunt primos heredes succedere in capita, *quia tunc non adest praejudicium alterius compatroni*, ut inquit Far-

gna

gna (*a*), quod adesset in heredibus posterioribus, si successio fieret in capita, quia heredes posteriores repraesentant personam illius patroni tantum, a quo jus habent. Itaque loquuntur de successione in hereditatem pro aequali parte, ubi nullum certe praejudicium adest, ut non obscure innuit Vivianus (*b*), dum loquens de hujusmodi successione fingit casum, ut quis reliquerit duos filios heredes, et singuli eorum juspatronatus habeant pro medietate: aliter adesset praejudicium compatroni, si compatronus majorem partem hereditatis habens aequaliter succederet in exercitium jurispatronatus. Hinc igitur patet tum primos heredes pro aequali parte succedere in juspatronatus, cum pro aequali quoque parte successerint in hereditatem, nempe cum nullius compatronorum adsit praejudicium. Neque aliunde oritur jus posteriorum heredum succedendi pro inaequali parte in exercitium jurispatronatus, quod non negat Pitonius, nisi ex jure inaequali priorum heredum, quibus succedunt, et quorum personas repraesentant, adeo ut si dicere fas sit primos heredes aequaliter succedere, et aequaliter succedere posteriores dicendum sit.

Illud igitur, quod doctores dicunt, nempe primos heredes succedere in capita, dictum est non ad distinguendam aequalitatem, aut inaequalitatem successionis in exercitium jurispatronatus, sed ad distinguendum aut modum succedendi in dubio, aut

---

(a) *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 1. *n.* 4.
(b) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 7.

aut jus repraesentationis. Quia, cum primi heredes sive plures, sive pauci, uti immediati uni succedant, non habet locum successio in stirpes, prout locum habet in heredibus posterioribus, qui *tantam de hereditate morientis accipiunt partem, quanticumque sint, quantam eorum parens, si viveret, habuisset, quam successionem in stirpes vocavit antiquitas*, ut verbis loquar Justiniani in *nov.* 118. *cap.* 1.. Neque aliud in sententia juris significat distinctio successionis in capita in primis heredibus, et successionis in stirpes in heredibus posterioribus, nisi quod heredes posteriores, puta nepotes, pronepotes, aliique successores, *jure repraesentationis semper veniunt, ut scilicet in parentis demortui locum succedant . . . . ; liberi vero omnes, qui ejusdem sunt stirpis, et gradus, in capita succedunt, idest viritim, ut aequaliter hereditas inter eos dividatur*, ut explicat Vinnius in expositione dictae *nov.* 118. *in comment. ad Instit. lib.* 3. *tit.* 5. §. *de successione liberorum, pag.* 614. *n.* 3., e 4.. Ex quibus verbis manifestissime patet, ideo primos heredes succedere in capita, quia de jure inter succedentes ab intestato aequaliter hereditas dividitur. Itaque si successio fiat pro partibus inaequalibus ex testamento; quocumque nomine successio vocetur, illud certum est numquam aequaliter fieri divisionem inter heredes, ut non obscure innuit Lambertinus (*a*); et Rota (*b*), dum dicunt quod heredes primo instituti a fun-

(a) *P.* 2. *lib.* 1. *qu.* 1. *artic.* 26.
(b) *Dec.* 308. *n.* 4. *P.* 2. *rec.*

a fundatore censentur instituti in capita; idest in dubio praesumitur, quod fundator eos in capita instituerit, ut ego opinor ex juris regula indubitata, quod in dubio praesumitur fundatorem non discessisse a communi jure succedendi ab intestato.

Quamobrem exercitium jurispatronatus dividitur secundum divisionem unciarum hereditatis, adeò ut tot quisque heres voces habeat, quot sunt unciae, seu partes hereditatis, quas possidet; adeoque si unam unciam habeat, unam quoque habeat vocem (*a*). Ceterum si aliter intelligenda esset hujusmodi doctorum sententia, nulla major ratio esset, cur primi heredes succedere debeant aequaliter, posteriores vero, seu ejus successores inaequaliter. Itaque mihi arridet doctrina tradita per Cardinalem de Luca, ut tam primi, quam secundi heredes succedant aequaliter in exercitium jurispatronatus, aut inaequaliter, pro aequali aut inaequali parte, seu quota hereditatis, cum exercitium jurispatronatus in sententia etiam Pitonii, et aliorum, qui dictam distinctionem tradunt, sit dividuum, licet proprietas jurispatronatus sit individua, ut supra probavi.

Ex eadem natura jurispatronatus individua quoad proprietatem manat, ut jus coheredum non praesentantium consolidetur in patronis praesentantibus, vel in patrono praesentante, si unicus sit patronus, qui praesentat; et jure quidem accrescendi, vel non decrescendi, ut communiter docent doctores (*b*): sicut jure pariter accre-

(a) Piton. *alleg.* 100. *n.* 316. §. *attamen*.
(b) Ap. Card. de Luca *de jurep. disc.* 19. *n.* 13.

crescendi *in omni testamento sive scripto, sive non scripto* (ut notat Gothofredus ad *l. un. cod. de caduc. tollend.* §. 14.) Imperator Justinianus sanxit in *ead. leg.* §. 131.: *si quis solidam hereditatem non adierit, hanc, si quidem habeat substitutum, ad eum, si voluerit, et potuerit, pervenire*: et quod non adita hereditate per aliquos heredes, *reliquis, qui adierint, adcrescit illorum portio; et licet decesserint, antequam adcresceret, hoc jus ad heredes eorum pertinet*, dixit Marcianus in *l. si ex pluribus ff. de suis, et legitimis heredibus*.

Ista autem distinctio inter pluralitatem vocum in jurepatronatus hereditario, et inter vocem pinguiorem prorsus vana, et inutilis esset, si de clerici extranei praesentatione ageretur. Vocis namque pinguedo sive ex hujusmodi causa oriatur, sive a duabus vocibus, quas praesentatus habeat, altera privativa, altera accumulativa, si ex. gr. alter privative eum praesentaverit, alter accumulative post primam praesentationem ad favorem alterius factam; sive ex inaequali patronorum concursu in acquisitione jurispatronatus, puta in constructione, aut dotatione, si alter plus, quam alter, in fundatione contulerit; semper dat praelationem praesentato ab habente vocem pinguiorem, ita ut instituendus sit ad beneficium in concursu cum altero praesentato aeque, ac si praesentatus sit a patrono plures voces habente; puta ab herede habente plures partes hereditatis, ut decisum fuit per Rotam in iisdem supradictis decisionibus relatis per Pitonium, *omissis antiquioribus*, ut ipse refert (*a*). Scriptores enim antiquiores super dicta

(a) *Dict. disc. ept* 4. *n* 26. Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. *et* 11. *cas.* 9.

cta Clementina *Plures*, *de jurep.* docere videntur, ut, sive aequalis, sive inaequalis sit causa acquisitionis, nempe sive aequaliter, sive inaequaliter fundatores in fundatione bona contulerint, aequalis sit eorum, eorumque successorum, sive patronorum conditio, *tum ob individuam naturam jurispatronatus, ob quam illud penes omnes, ac singulos quamvis inaequales portiones habentes, in solidum esse dicitur; tum etiam, quia hujusmodi inaequalitas potius in quanto, quam in quota consistens, non de facili recipit illam proportionem per quotas, et uncias, quae datur in aliis duobus concurrendi modis, de quibus infra: et clarius ob rationem, quam proxime allegandi assignant satis probabilem, quod sicuti patronus admittens non patronum quoad ejus praejudicium illum facit participem jurispatronatus etc., ita multo magis sibi praejudicat, ac sibi aequalem facit eum, quem admittit ad ejusdem operis contributionem, quamvis inaequaliter concurrentem*, ut inquit Cardinalis de Luca (a). Cujus verba refert hic exscripsisse, utpote quae continent omnia rationum momenta pro dictorum antiquiorum scriptorum sententia: licet super ea nullum ipse aperte ferat judicium, fortasse quia *rari sunt casus, in quibus haec inspectio ad praxim in foro deducatur*, ut ipse subjicit. Apud recentiores vero exploratum est, ut pro inaequali parte fiat successio, ideoque praesentatus a patrono habente vocem pinguiorem praeferendus sit praesentato ab altero patrono vocem pin-

(a) *De jurep. disc. 61. n. 2.*

pinguiorem non habente, si sit extraneus.

Sed maxima difficultas versatur in eo, num idem nempe de jure obtinere debeat in concursu cum altero praesentato, qui sit consanguineus fundatoris, aut patroni, a quo heredes jus habent. Et in hoc communis est doctorum sententia (*a*) confirmata per Rotam in dictis decisionibus per Pitonium relatis, ut praeferendus sit consanguineus, si pinguior vox oriatur ex inaequali successione in hereditatem, aut inaequali bonorum collatione in fundatione, quia *in paritate jurispatronatus aequaliter delati in heredes inaequaliter institutos praevalere debet sanius judicium alterius heredis praesentantis consanguineum, tamquam gratum, et conforme menti fundatoris, ac etiam quia Ecclesia hoc modo facit retributionem fundatori*, ut inquit Pitonius (*b*). Si autem oriatur ex duplici voce altera privativa, altera accumulativa, praefertur extraneus consanguineo habenti vocem accumulativam tantum: quia vox tantum accumulativa non solum est debilior, sed etiam diminuta, et non integra, ut loquuntur doctores (*c*).

Hic obiter notandum plures Universitates, aut plura Collegia succedere in stirpes in exercitium jurispatronatus, adeo ut unaquaeque Universitas, unumquodque Collegium unam vocem habeat, quocum-

---

(a) Piton. *discept.* 4. *n.* 29. Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. *et* 11. *cas.* 9. *n.* 2.

(b) *Loc. cit.*

(c) Lambertin. *lib.* 2. *part.* 2. *qu.* 7. *art.* 13. *n.* 7, Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 9. *n.* 3.

cumque titulo, sive hereditario, sive donationis, sive emtionis ad ipsas, sive ipsa juspatronatus deferatur (*a*).

Juspatronatus in dubio praesumitur hereditarium, ut docent communiter scribentes super dicta Clementina *Plures, de jurepatronatus* (*b*), adeo ut si fundator in fundatione dixerit reservare juspatronatus, cui de jure, juspatronatus dicatur hereditarium (*c*); nisi sit juspatronatus antiquissimum, idest fundatum ante dictam Clementinam editam in Concilio Viennensi sub Clemente V. die 13. Novembris anni 1311. (*d*), quod praesumitur gentilitium (*e*).

Potest juspatronatus hereditarium fieri gentilitium de consensu patronorum, modo omnes patroni consentiant, nemine discrepante, quod tuetur praesertim Vivianus, cujus sententiam *indubitatam* appellat Card. de Luca (*f*), et communi calculo sequuntur doctores (*g*), sive per consensum expressum, sive per consensum tacitum, puta per observantiam, etiam contra legem fundationis; adeo ut non amplius lex fundationis, sed lex observantiae attendi debeat, ut notat Vivianus

(a) Fargna *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 1. *n.* 3.
(b) Card. de Luc, *de jurep. disc.* 60. *n.* 1.
(c) Piton. *alleg.* 100. *n.* 170.
(d) Piton. *discept. eccles.* 53. *n.* 1.
(e) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 6. *n.* 33. Piton. *discept. eccles.* 53. *n.* 1.
(f) *De jurep. disc.* 60. *n.* 22.
(g) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 5. *n.* 4. Piton. *alleg.* 100. *n.* 267.

nus (*a*). Sicut potest donari Ecclesiae, et de laico fieri ecclesiasticum (*b*), vel aliis reservari cum adjectione legis etiam circa qualitatem passivam, puta ut praesentandus sit Sacerdos (*c*), vel praelegari, in extraneum transferri, imo supprimi, ita ut Ecclesia libera remaneat (*d*).

CAPUT XVI.

De turno, seu alternativa.

POssunt patroni ex eadem Clementina *Plures, de jurep.* dividere exercitium jurispatronatus per turnum, et alternativam, de qua seorsim in capite distincto agere existimavi, utpote in judiciis ecclesiasticis usitatiore. Quae quidem vim obtinet non modo in jurepatronatus hereditario, verum etiam in jurepatronatus gentilitio, aut familiari, seu agnatitio, licet pro una voce tantum juspatronatus spectet ad familiam, et pro altera ad ecclesiam, puta ad Capitulum, aut monasterium, adeo ut si pro altera voce spectet ad duas familias conjunctim, pro altera ad monasterium, possint dictae duae familiae, ad quas pro una

(a) *Lib.* 4. *cap.*9. *n.*28. *et* 29. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 5. *n.* 8.

(b) *Cap. si laicus*, *de jurep. in VI.*

(c) Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 4. *art.*4. *n.* 3. Fargna *loc. cit. n.* 4. *et* 5.

(d) *Cap. ſignificavi*, *de test.* Covarr. *resol. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 10. Fargna *loc. cit. n.* 5.

una voce juspatronatus pertinet, inter se convenire de praesentando per turnum, et alternativam, etiam citra omnem Capituli, aut monasterii consensum, cum nullum per dictum turnum inferatur praejudicium Capitulo, aut monasterio: quod in omni vacatione sive praesentet altera familia, sive praesentet altera, semper habet jus praesentandi, seu exercitium alterius vocis ad ipsam spectantis. Et praesentatus ab altera ex duabus familiis in turno ad ipsam spectante habet pro se integram vocem utriusque familiae, ut post alios docet praesertim Fargna (*a*): *quia* (inquit Pitonius (*b*)) *licet exercitium jurispatronatus sit divisum, ejus tamen substantia, seu proprietas est indivisa, et manet in solidum penes omnes . . . . . Ob quam rationem omnes patroni in exercitio jurispatronatus semper concurrunt velut consocii in re communi, ita ut propter hoc praesentatio unius conservat jus, et possessionem alterius non praesentantis*: et optime ad rem refert plures Rotae decisiones. Illud autem distinguendum inter turnum in jurepatronatus heraditario, et inter turnum in jurepatronatus gentilitio, aut familiari, seu agnatitio, ut in altero afficiat successores, quia heredes tenentur servare factum defuncti, in altero afficere nequeat successores, si jure proprio succedant, nisi tribus causis concurrentibus, idest justa causa, communi omnium patronorum consensu, et assensu Ordinarii (*c*).

(a) *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 6. *n.* 3. *et* 4.
(b) *Alleg.* 9. *n.* 31. §. *hinc in jurep. in fin.*
(c) *Cap. veniens*, *de transact.* Piton. *alleg.* 100. *n.* 318., 373., *et* 376. Fargna *P.* 4. *can.* 2. *cas.* 7. *n.* 8.

Utrum ad hujusmodi turnum, et alternativam patroni cogi possint a judice, si justa causa adsit vitandi discordias inter patronos, quaestio est satis controversa inter doctores. Felinus in *cap. prudentiam, de off. et potest. delegat.* (*a*) acriter contendit posse judicem cogere patronos discordantes ad dividendum exercitium jurispatronatus per turnum, instantibus aliquibus ex patronis. Et jure quidem merito, ut ipse ait: communiter enim docent Canonistae (*b*), sive electores discordent in eligendo, sive Parochi in exercitio jurium parochialium, sive Episcopi in exercitio jurium Episcopalium in ecclesia communi, cogi semper posse ad dividendum jurium suorum exercitium per turnum, et alternativam. Verum mihi arridet contraria Lambertini, et Rochi de Curte sententia, quam refert, & tuetur, ac Rotae decisionibus firmat praesertim Fargna (*c*), uti ipsi litterae dictae Clementinae *Plures*, *de jurep.* consona, quae decernit patronos *posse* (non autem debere) *libere convenire de rectore ab eis alternis vicibus praesentando*. Contrariis autem rationum momentis respondet, turnum non esse *tutum remedium dissipandi discordias patronorum, dum experientia saepe saepius monstravit, quod vel eaedem, vel forte majores insurgunt amaritudines in ordine ad ipsam divisionem, sive conventam alternativam*, ut inquit idem Fargna (*d*), et experientia me etiam edocuit, dum non

(a) *N.* 5. *in fine*.
(b) Ap. Fargam *loc. cit. cas.* 8. *n.* 5. *ad* 12.
(c) *Loc. cit. cas.* 8. *n.* 13.
(d) *Loc. cit. cas.* 8. *n.* 14.

non raro mihi obtigit scribere, aut votum pro veritate emittere super non levibus controversiis ex hujusmodi alternativa exortis.

Huic rationi altera, et potior ratio accedit, nempe quod discordiis patronorum satis providetur per devolutionem collationis beneficii ad Ordinarium, uti decernitur in *cap.* 3. *de jurep*; ubi ex Concilio Lateranensi dicitur, *ut, si forte in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille praeficiatur ecclesiae, qui majoribus gradibus, et meritis juvatur, et plurimorum eligitur, et approbatur assensu. Si autem hoc sine scandalo esse nequiverit, ordinet Antistes ecclesiam, sicut melius eam secundum Deum viderit ordinandam.* Et praeterea in casu discordiae lex jam providit in *cap.* 3. *de jurep.* per devolutionem ad Superiorem: *ac proinde* (subiicit Fargna (*a*)) *stante hoc remedio ordinario, et a lege praescripto, judex se convertere non debet ad extraordinarium coactivae divisionis juris praesentandi per turnum.*

Illud certum est in divisione turnaria, ut forensium verbis loquar, quod semper servanda est aequalitas. Itaque non servata aequalitate, *quod inaequaliter factum esse constiterit, in melius reformabitur*; ut de divisionibus *per fraudem, vel dolum, vel perperam* (idest *sine consilio*, ut notat Gothofredus ad infrascriptam *leg. num.* 28.) *factis* sanxerunt Imperatores Dioclet., et Maxim. in *l. majoribus cod. communia utriusque judicii*: scilicet debet concordia ad aequalitatem reduci (*b*), prout

 a Ro-

(a) *Loc. cit. n.* 14.
(b) Piton. *alleg.* 100. *n.* 54.

a Rota fuisse saepius judicatum refert Pitonius (*a*).

Hinc manat, ut, si in turno spectante ad aliquem patronorum omnes patroni simul praesentaverint, turnus non dicatur consumtus, et possit patronus, ad quem turnus spectat, praesentare in altera vacatione immediate sequente. Nam ut turnus consumatur, debet praesentatio fieri omnino ab eo, ad quem in illa vacatione spectat turnus, *quia ille, qui est in turno, dicitur solus dominus, et solus collator . . . . ., et ipse solus dicitur habere praesidentiam, denominationem, et praeeminentiam*, ut ait Gonzalez (*b*), qui apposite ad rem plures refert Rotae decisiones. Quod ita obtinet in jurepatronatus sive activo, sive passivo, ut statuto turno inter duas familias, si in turno spectante ad alteram familiam non exsistant clerici de ea passive vocati, et praesentetur clericus de altera, turnus non dicatur consumtus, ne ex parte quidem familiae clerici praesentati, sed suspensus, adeo ut, cum pro illa vice praesentatio sit extraordinaria, nempe extra legem turni, seu subsidiaria, in sequente vacatione turnus spectet ad eamdem familiam, in qua non fuit consumtus ob defectum clericorum ipsius familiae, jure quodam postliminii ex Calderini *consil.* 26. *de praebend.* in foro recepto, rejecta sententia contraria Jo: Andreae, et aliorum antiquiorum (*c*).

Diviso autem exercitio jurispatronatus passivi per

(a) *Loc. cit.*

(b) *Super reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 45. *P.* 3. *n.* 42. *et* 43.

(c) Card. de Luca *de regul. disc.* 10. *n.* 3.

per turnum inter duas familias ab ipso fundatore ea lege, ut beneficium possideatur a clerico alterius ex dictis familiis ordine successivo, si in termino praefinito ab Ordinario in edictis nemo compareat, et beneficium ab eodem Ordinario conferatur jure devoluto alteri ex iisdem clericis vocatis, prout de jure tenetur (a), pro consumtione turni spectantis ad dictum clericum, cui collatum fuit beneficium, prodiit decisio Rotae, quam refert Fargna (b).

Si juspatronatus sit activum, jam supra dixi, turnum, seu alternativam nullo indigere assensu Ordinarii. *Hoc enim* (inquit Pitonius (c)) *solum requiritur in actibus aut contrariis, aut praeter jus, qui tamen possunt esse, et non esse utiles, esse, et non esse praejudiciales ecclesiae . . . . . : secus autem in actibus de jure permissis, et factis in executione sacrorum canonum nullam Superiorum facultatem requirentium, sed solam voluntatem patronorum, prout est alternativa, seu turnus de jure permissus in Clement. Plures, de jurep., ubi decernitur, ut patroni libere possint inter se convenire de alternis vicibus praesentando ex publica, et utili causa, ut facilius ecclesia provideatur ad tollendas dissensiones, et litigia inter patronos . . .; maxime quia per hujusmodi alternativam, seu turnum nihil alteratur in praejudicium patronorum, sed est conventio hinc inde aequalis, neque de cetero inutilis, seu damnosa, dum utroque patrono stante in communione in paritate vocum se invicem impediunt.*

(a) Rota Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 7. *n.* 19.
(b) *Loc. cit. cas.* 7. *n.* 15. *et seq.*
(c) *Alleg.* 63. *n.* 23. *ad* 27.

Decisionis autem 56. *coram Durano*, quae contra allegatur, sequentem rationem affert Pitonius (*a*); nempe in casu dictae decisionis fuisse necessarium assensum, *quia Clementina locum habebat in turno activo, seu activa praesentatione, non autem in passiva, dum laudum continebat pactum passivae praesentationis certi generis personarum*. Et ad dictum juspatronatus passivum quod attinet, turnus nequit afficere successores jure proprio venientes, cum successores obligari nequeant facto antecessoris, nisi turnus assensu Apostolico sit munitus, aut saltem Ordinarii, si justa causa concurrat (*b*); cum tunc eadem regula obtineat, quam supra innui de turno in jurepatronatus gentilitio, aut familiari, seu agnatitio, nempe ut afficiat successores etiam jure proprio venientes, si tria concurrant, scilicet communis patronorum consensus, justa causa, et assensus Ordinarii (*c*).

Ceterum illud, quod Rota pluries definivit, nempe dictam Clementinam *de jurepatronatus*, ad juspatronatus passivum non extendi, intelligendum est, ut merito animadvertit Pitonius (*d*), de jurepatronatus passivo in fundatione non reservato, *ita ut patroni non habeant facultatem ejus vigore deveniendi ad constitutionem turni super passiva vocatione certi generis personarum, inducendo juspatronatus passivum, ubi non adest*, ut inquit Pitonius explicando dictas Rotae decisiones. Nam si ex

(a) *Loc. cit. n.* 30.
(b) *Loc. cit. n.* 30. *ad* 35.
(c) Pitonius *discept. eccl.* 53. *n.* 20.
(d) *Alleg.* 100. *n.* 52. *et* 53.

ex fundatione constet de jurepatronatus passivo, *ubi frequentes oriuntur discordiae inter passive vocatos*, ut verbis utar ejusdem Pitonii, licita est alternativa, dummodo omnes patroni tam active, quam passive vocati, concurrant, eosque obligat etiam sine Ordinarii assensu, in quo consistit discrimen inter patronos, qui faciunt turnum, et patronos successores; nempe quod priores obligantur etiam sine assensu Ordinarii, posteriores vero non obligantur, nisi concurrant assensus, et alia requisita supra descripta, ut notat idem Pitonius (*a*).

CAPUT XVII.

De jurepatronatus gentilitio.

NOn modo heredes possidere posse juspatronatus, ita ut sit hereditarium, verum etiam descendentes, et consanguineos, ita ut sit gentilitium, et jure sanguinis tantum deferatur, explorati juris est, praesertim in Italia, ubi fundationes fieri solent *nedum ad pietatem, sed etiam (et forte magis) ad ambitionem, ac honorificentiam, ut ita fundatoris memoria conservetur, atque facilius nobilitatis justificatio post longa tempora fieri valeat, seu familiae identitas, vel descendentia probari, ut frequentius experientia docet*, ut inquit Cardinalis de Luca (*b*). Hinc docet (*c*), quod, licet in dubio jus-

(a) *Alleg.* 100. *n.* 53.
(b) *De jurep. disc.* 23. *n.* 14.
(c) *Loc. cit. n.* 13. §. *aut vero fundatione.*

patronatus censeri debeat hereditarium , *attamen est regula innixa simplici praesumtioni juris tantum, pro qua elidenda necessaria, non est perfecta , et concludens probatio , sed sufficit etiam levis , et praesumtiva , seu adminiculativa* . Itaque, si de existentia jurispatronatus non dubitetur , sed de ejus dumtaxat qualitate , et natura , ea *levioribus adstruitur probationibus , cum non tangat substantiam beneficii , sed illius pertinentiam* , ut optime ad rem animadvertit Pitonius (*a*) .

Hinc sive deficiente fundatione , sive fundatione existente , sed dubia qualitate , qualitas ipsa , seu natura desumitur ex observantia , quae dicitur a doctoribus certa ,et concludens probatio qualitatis , seu naturae jurispatronatus (*b*) , puta ex praesentationibus , quae effectum habuerint (*c*) , imo etiam nullis , et non perfectis , modo fuerint admissae (*d*) ; aut ex articulis vel enunciativis , sive patronorum praesentando, sive Ordinarii eas admittendo , ex quibus constet eos praesentasse , aut fuisse ab Ordinario admissos tamquam descendentes ; aut ex sententia Ordinarii (*e*) , quae si lata sit super quaestione praecise pendente super qua-

---

(a) *Discept. eccl.* 53. *n.* 31. §. *de quibus omnibus* Vivian. *P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 40.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 9.

(c) Fargna *P.* 2. *can.* 1., *et* 2. *cas.* 6. *n.* 9. *et* 10. Piton. *alleg.* 53. *n.* 15.

(d) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 61. *in fin.* , *et cas.* 5. *n.* 13.

(e) Piton. *alleg.* 72. *n.* 22. et *alleg.* 92. *n.* 18. *ad* 20. Card. de Luca *de jurep. disc.* 23. *n.* 3., et *disc.* 35. *n.* 4. , *disc.* 601. *n.* 14.

qualitate jurispatronatus, et in contradictorio judicio, nempe auditis Promotore Fiscali, aliisque, quorum interest, plene probat qualitatem, seu naturam jurispatronatus. Et ita vim obtinet quoad omnes successores, cum faciat statum tam in possessorio, quam, ut loquuntur doctores, in petitorio; ut neque in possessorio, neque in petitorio impugnari possit (*a*).

Et quod de observantia in jurepatronatus gentilitio dictum est ad eruendam jurispatronatus qualitatem, seu naturam, de omni jurispatronatus specie intelligendum; cum regula juris, ut qualitas, seu natura jurispatronatus ex observantia deducatur, valeat non solum in jurepatronatus gentilitio, sed etiam familiari, seu agnatitio, vel lineali, aut mixto, ut passim doctores tradunt. Ipsa autem juris regula, utpote diversa juxta diversas facti circumstantias, non est semper *certa, et uniformis*, ut verbis utar Card. de Luca (*b*): *unde propterea* (subjicit idem Cardinalis de Luca) *ejus decisio pendet a singulorum casuum particulari qualitate, ac individuis circumstantiis, ex quibus resultat, quod eaedem conjecturae, ac adminicula in uno casu approbata, in alio autem reprobata habeantur, quia sic unius, vel alterius casus qualitas exigat: et consequenter consuetus leguleicus error est insistere in cumulo auctoritatum ad probandum, quod aliqua adminiculi species in aliis casibus canonizata, vel rejecta sit.*

(a) Piton. *alleg.* 72. *n.* 21. *et seq.*, *alleg.* 92. *n.* 30., *et* 32. et *discept. eccles.* 53. *n.* 29. Fargna *P.* 6. *can.* 23. *cas.* 1. *n.* 30.

(b) *De jurep. disc.* 23. *n.* 3., *et* 4.

sit : attendendo potissime regulam . . . . . ut , non singulariter , ac distincte ponderanda sint , sed unitim cum consueta regula , ut singula , quae non prosunt , unita juvent. Ex quo resultat, ut non contrariae , sed potius diversae pro casuum diversitate sint decisiones , ac auctoritates, quas desuper habemus , et quae aliquibus invicem pugnantes videntur; isteque est verus modus decidendi hujusmodi quaestiones . Refert hic integram auctoris sententiam ad litteram exscripsisse , utpote quae plurimum confert ad dirigendum judicis judicium super hujusmodi potius facti, quam juris quaestionibus, ut inquit ipse Cardinalis de Luca.

Gentilitium autem, de quo loquor, juspatronatus ad speciem refertur jurispatronatus minus rigorose sumti, quod a doctoribus dicitur *descendentale*, sive pluribus descendentibus reservetur, sive uni tantum , prout ad vitandas discordias non raro fit . Et quidem de Sancto Everardo Comite Ludovici Pii Genero refert Miraeus (*a*) eum in suo testamento scripsisse , ut suum juspatronatus in quadam ecclesia tertius ex liberis suis Aeolardus tantum haberet : nam gentilitium rigorose sumtum idem est, ac familiare, seu agnatitium , de quo dicam in *Cap. seq.* Itaque de prima gentilitii jurispatronatus specie , nempe jurispatronatus minus rigorose sumti, de regulis illud cognoscendi, aut probandi descendentiam , et de modo in ipsum succedendi hic agam .

Censetur gentilitium, seu *descendentale* juspatronatus, si fuerit reservatum pro filiis, ejusque descen-

(a) *In Cod. piar. donat. cap.* 12.

ſcendentibus, et ſucceſſoribus, cum nomen filiorum, et deſcendentium complectatur omnes ſive agnatos, ſive cognatos, ſive heredes, ſive deſcendentes tantum ſine qualitate hereditaria, ita ut filii ſuccedant ſimul cum patre (*a*). Etenim verbum *ſucceſſores*, cum genericum ſit, complectitur omnes ſucceſſores ſive ſanguinis, ſive bonorum, juxta diverſum loquendi modum: ſcilicet complectitur ſucceſſores in hereditate, ſi adjectum ſit verbo *heredibus*; complectitur ſucceſſores ſanguinis, ſi adjectum ſit verbo *deſcendentibus* (*b*). Imo adjectum etiam verbo heredibus, puta ſi dicatur *filiis et heredibus*, in aliquibus facti circumſtantiis accipitur de qualitate hereditaria ſanguinis, non bonorum, dictaque qualitas hereditaria *ſtat demonſtrative*, ut loquuntur doctores (*c*), ita ut cenſeatur gentilitium. Sicut gentilitium cenſetur, ſi reſervatum ſit *parentibus*, vel *conſanguineis*, aut *omnibus*, vel *propinquioribus de domo*, *progenie*, *ſive ſtirpe* (*d*); addita praeſertim clauſula *in perpetuum*, *et in infinitum*, quae indicat qualitatem hereditariam ſanguinis, non bonorum, ſeu naturam juriſpa-

---

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 2. *artic.* 8. Lotter. *de re beneſ. lib.* 2. *qu.* 1. *n.* 54. Fargna *P.* 2 *can.* 1. *et* 2. *cas.* 6. *n.* 5., *et* 12.

(b) Rota *in Mediolan. juriſpatronatus*, *impreſſa apud eumdem* Fargnam *poſt dict. cas.* 6.

(c) Soccin. *conſ.* 57. *lib.* 3. *num.* 4. Pitonius *alleg.* 37. *n.* 11., et *alleg.* 100. *n.* 684. *et* 685. Fargna *P.* 2. *can.* 26. *cas.* 2. *n.* 43. Rota *in dict. Mediolan.* ap. Fargnam.

(d) Peregrin. *de fideicom. art.* 22. *n.* 31. *et* 34. Card. de Luca *de jurep. disc.* 28. *n.* 11.

rispatronatus gentilitii *descendentalis* jure sanguinis, non bonorum (*a*): eo vel maxime, si cum hujusmodi fundatione pro descendentibus, aut parentibus, et consanguineis facta concurrat observantia praesentationum factarum sine qualitate hereditaria, aut in capita, non in stirpes (*b*).

Cum vero fuerit reservatum descendentibus ex familia alicujus civitatis, aut loci peculiaris, complectitur illos descendentes solum, qui sunt de eadem civitate, seu de eodem loco (*c*). Dicitur quoque gentilitium juspatronatus, aut saltem mixtum, si fundator illud heredibus et successoribus reservans, eis substituat aliquos suos consanguineos, cum tunc verbum *heredum et successorum* complectatur heredes sanguinis. Nam si de heredibus extraneis accipiatur, substitutio facta pro consanguineis in defectum heredum, et successorum prorsus evanesceret (*d*). Idem nonnulli (*e*) dicunt de dictione *suis*, si adjiciatur post verbum *heredibus, et successoribus*, idest si fundator juspatronatus reservaverit *heredibus et successoribus suis*. Re tamen vera num illa verba *heredibus et successoribus suis*, complectantur heredes sanguinis, vel bonorum, quaestio est acerrima, et satis implexa, et difficilis inter doctores, ad quos lectorem remitto, quando casus occurrit: saltem jurispatro-

---

(a) Carol. Ant. de Luca *respons. lineal.* 4. *n.* 11. *et* 12. Piton. *alleg.* 37. *n.* 15. *in fine.*

(b) Fargna *P.* 2 *can.* 1. *et* 2. *cas.* 6. *n.* 9. *et* 10.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 7. *et* 8.

(d) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 6. *n.* 15.

(e) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 6. *n.* 16.

tronatus mixti naturam innuere sentit Pitonius (*a*), ac Rotae decisionibus comprobat .

De modo probandi descendentiam jam supra dixi in *Cap. IV. praeced.* , ut quoad institutionem praesentati sufficiat probare descendentiam ab ultimo possessore defuncto , si contendat cum solo Ordinario contra libertatem beneficii : probanda vero sit descendentia a fundatore , si contentio sit cum patrono , qui suam descendentiam probaverit , ea potissima ratione , quam refert Cardinalis de Luca (*b*) ibi citatus , *quod possessio auctoris , cujus descendentia probatur , sequi potuit ex benevolentia , seu gratificatione possessoris etc. , quod praejudicare non potest successoribus , vel compatronis jure suo venientibus independenter ab admittente* . Et si ad juspatronatus vocati sint proximiores , descendentia probanda est per gradus distinctos (*c*) . Praesumitur vero , et probatur descendentia a fundatore , si probatur possessio centenaria , seu descendentia ab iis , qui fuerunt in possessione praesentandi per centum annos (*d*) .

Probatur quoque instrumentis antiquis , aut auctoritate historicorum , *quando isti sunt communiter tamquam probatae fidei recepti* , ut recte animadvertit Pitonius (*e*) , vel testibus de auditu , licet non habeant requisita a *cap. licet ex quadam* , *de test.* et

(a) *Alleg.* 100. *n.* 683. §. *ex his* .
(b) *De jurep. disc.* 63. *n.* 39.
(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 34. Lotter. *de re benef. lib.* 2. *qu.* 11. *n.* 5. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 9. *n.* 1. Vivian. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 17.
(d) Piton. *alleg.* 44. *n.* 12. §. *quibus omnibus* .
(e) Piton. *alleg.* 100. *n.* 643.

et atteſt., quae recenſui ſupra in *cap.* 2. *quib. mod. juſp. acquir.*; ut optime ad rem animadvertit Pitonius, quidquid contra definiverit Rota quoad juspatronatus paſſivum *in quadam Tuden. parochialis* ab ipſo relata (*a*), quia in *dict. cap. licet ex quadam*, agebatur de re prorſus diverſa, nempe de diſſolvendo vinculo matrimonii, *quae eſt materia gravis et involvens praejudicium animarum*, *et periculum peccati*, ut ſubjicit idem Pitonius (*b*), et eamdem rigoroſam probationem admittere idem eſſet, ac *impoſſibilitare probationem deſcendentiae in antiquis*, *ita ut nullus*, *aut rariſſimus dari poſſet caſus*, *in qua probatio iſta legitime facta foret*, ut inquit idem Pitonius (*c*). Qui reſpondens objectioni contrariae, nempe ut *dict. cap. licet ex quadam*, propter identitatem rationis, cum agatur de re gravi, extendi debeat etiam ad juspatronatus, recte ſubjicit (*d*): *hoc enim argumentum dignoſcitur omnino fallax*, *et quod nimis probaret*, *dum in caſu*, *quo parentela requiritur*, *ſemper ineſt praejudicium alicujus*, *prout contingit ad affectum ſucceſſionis*, *alimentorum*, *jurispatronatus*, *et ſimilium*, *ubi ſemper agitur de materia praejudiciali*; *unde ſi curreret iſta paritas*, *oporteret caſſare omnes libros*, *et concluſiones doctorum in his materiis communiter aſſerentium*, *quod ſufficiat probatio praeſumtiva*, *et in genere*; *imo quod*, *etiamſi probandi ſint cer-*

(a) *Alleg.* 100. *n.* 209. *ad* 211.
(b) *Loc. cit. n.* 210.
(c) *Loc. cit. n.* 210.
(d) *Loc. cit. n.* 211.

certi gradus, *istorum probatio fieri possit absque necessitate servandi illa duodecim requisita*. Quod praesertim vim obtinet in antiquis tam quoad fideicommissum, quam quoad juspatronatus, quod cum fideicommisso *fraternizat*, ut pragmaticorum verbo utar, in quibus leviores admittuntur probationes (*a*).

Iste vero probandi modus periculo non caret. Non raro enim experientia docet, ut testatur Cardinalis de Luca loquens de fideicommisso (*b*), plures in archiviis reperiri scripturas, et monumenta speciem tantum antiquitatis habentia, et re vera non antiqua, sed studiose conficta. *Magis ergo* (subjicit idem Card. de Luca (*c*)) *certe existimatur illa* (scilicet probatio), *quae resultat ab actuali possessione castrorum, seu palatiorum, aliorumque antiquorum bonorum, quoties concurrunt familiae identitas, et communis reputatio, atque non urgent contrariae probationes obventionis ex diverso recenti titulo. Quod etiam non semel sum expertus, quod scilicet aliqui ordinis popularis casualiter habentes idem cognomen, quod aliqua antiqua conspicua familia adhibere consuevit, ex fortunae beneficio ad meliorem statum redacti non solum plantaverunt magnas arbores, cum quibus demonstretur familiae identitas, ac directa descendentia probetur cum antiquis instrumentis, et documentis, ita ut supra, de recenti confictis, eo modo,* quo

(*a*) Vivian. *P.* 2. *lib.* 11. *cap.* 5. *n.* 99. Card. de Luca *de jurep. disc.* 31. *n.* 13. *in fin.*, *et* 14.. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 9. *n.* 4.

(b) *De fideicom. disc.* 106. *n.* 5.

(c) *Loc. cit. n.* 5.

quo moderni Pictores satis bene confingunt antiquas tabulas Titiani, et Raphaelis; sed etiam acquirendo illa castra, et bona, quae per dictam antiquam familiam possessa fuerunt.

Quae autem animadvertit Cardinalis de Luca, non ad hujusmodi probationis per scripturas speciem excludendam, sed pro judicis regula dicta sunt. Etenim sive testibus, sive scripturis ordinarie descendentiam, ut forensium verbis utar, probari nemo unquam inficias ivit, puta testamento, capitulis matrimonialibus, diplomatibus a Rege, seu Principe concessis, libris decimarum, mortuorum, & census, seu catasti, epistolis, vel aliis scripturis, in quibus aut enunciativae exsistant hujusmodi descendentiae, aut declarationes seu confessiones aliorum de familia seu sanguine, aliquem esse de eadem familia, aut sanguine descendentem, vel identitate patriae, insignium, & cognominis fundatoris, publica quoque voce & fama. Quae probtaionis documenta sola quandoque non sufficiunt ad perfectam probationem concludendam, nisi adminiculis coadjuventur. Vide Fargnam *P. 2. can. 1. et 2. cas. 9. per tot.*, ubi late ea cum omnibus suis distinctionibus, & limitationibus recenset.

Inter dictas scripturas & fidem baptismatis recenseri, allatis nonnullorum doctorum opinionibus, & Rotae decisionibus, probat idem Fargna (*a*). Ordinarie vero libri baptismatum probant ipsius baptismatis collationem, interventum suscipientium, seu patrinorum pro affinitate spirituali, & aeta-

(a) *Loc. cit. n. 5.*

aetatem (*a*), *nisi vigeat ratio affectationis, vel fraudis, de qua suspicari possit, quando de hoc enunciato principaliter agatur: puta ex. gr. ad effectum probandi nativitatem praecedentem pro successione in majoratu, vel primogenitura in concursu alterius de illo genere cum similibus*, ut animadvertit laudatus Card. de Luca (*b*); sed non probant filiationem, seu ea, *quae ab eo actu extranea sunt*, ut inquit ipse Card. de Luca (*c*): sicut fidei Notarii defertur in iis, quae ad suum publicum officium pertinent, non autem in iis, quae ab ejus officio aliena sunt, et in quibus ipse consideratur uti privatus (*d*). Itaque dicendum est, dictam Francisci Fargnae, aliorumque doctorum, et Rotae sententiam non de perfecta, et concludente probatione accipiendam, sed de adminiculo cum aliis probationibus conjungendo juxta supra relatam juris regulam, quod *singula, quae non prosunt, unita juvant.*

De probatione autem filiationis vide eumdem Card. de Luca *de fideicom. disc.* 193. *n.* 7. *ad* 18., ubi *num.* 16. optime tradit, quod *in proposito item legitimationis personae absolutum, atque quotidianum est in praxi, illam faciendam esse, in hac praesertim fideicommissaria materia, per eum, qui ad fideicommissum agit, etiam cum qualitate, quae pro illo necessaria est, ut praesertim contingit in qualitate legitimae filiationis ex matrimonio, adeo ut si testator*

(a) Card. de Luca *de judic. disc.* 30. *n.* 8. *et* 9. Mascard. *de probat. concl.* 673.
(b) *Loc. cit. disc.* 30. *n.* 9. *in fin.*
(c) *Loc. cit. n.* 8.
(d) Card. de Luca *loc. cit. n.* 8. *in fin.*

vocet legitimos, et naturales, in constantia matrimonii nedum natos, sed etiam procreatos, non sufficiat docere de matrimonio, ac nativitate in ejus constantia, nisi doceatur de existentia matrimonii tempore conceptionis ex deductis per Rotam decis. 105. *P.* 9. *rec.* Illud vero, quod tradit de Rosa (*a*) quoad praxim in expeditione praeambulorum, nempe quod ad probandam filiationem testes causam scientiae afferre debent, *quia concives, et cohabitantes erant, et in eorum vicinia Petrus, et Bertha legitimi conjuges reputabantur*, numquam vidi servari in praxi neque in expeditione praeambulorum, neque in aliis causis, ubi de hujusmodi filiationis probatione actum est; sed testes deponunt simpliciter uti cives, vel de auditu a majoribus juxta diversam, quam habent, causae scientiam.

Denique quoad modum succedendi indubitati juris est successionem fieri in capita, sive juspatronatus sit gentilitium minus rigorose sumtum, seu *descendentale*, sive rigorose sumtum, seu familiare, ut uno ore tradunt communiter doctores, juxta tamen infrascriptam distinctionem, quam tradunt communiter doctores, *inter vocationem collectivam personarum, et vocationem collectivam personarum, et graduum*. Vocatis namque descendentibus per vocationem collectivam personarum tantum, ut si juspatronatus reservatum fuerit pro domo, familia, cippo, parentibus, prosapia considerata in genere, et per modum universitatis, omnes succedunt in capita sine sexus, aut gradus di-

---

(a) *In civil. decret. prax. cap.* 6. *pag.* 103. *n.* 56.

distinctione (*a*); itaque pater, et filius simul possunt praesentare, nisi aliud in fundatione cautum sit (*b*). Vocatis vero per collectivam vocationem personarum, et graduum, puta si fuerit reservatum consanguineis proximioribus, successio fit gradatim in proximiores, remotioribus exclusis, adeo ut filii non concurrant cum patre ad praesentandum (*c*). *Procedendo etiam quod ageretur de jurepatronatus gentilitio* (inquit Rota apud Pitonium (*d*)) *adhuc pro comperto visum fuit admitti non posse concursum filiorum ad praesentandum una cum patre, quia id solum sibi vindicat locum in jurepatronatus gentilitio familiari reservato favore agnationis, domus, vel familiae, quam fundator in genere, et per modum universitatis consideravit. Tunc enim, cum censeatur, quod ipse respexerit tantummodo ad pluralitatem personarum, non vero graduum, bene omnes de familia seu agnatione possunt per capita concurrere ad simul praesentandum: et in his terminis procedunt decisiones supra in objecto, aliaeque auctoritates in contrarium allegatae. Secus autem dicendum est, quando, ut in praesenti casu, fundator vocavit non omnes de familia, vel agnatione, sed tantum certas personas, nempe suos descendentes in infinitum: hoc enim casu,*

N 2 *cum*

(a) Piton. *alleg.* 10. *n.* 26. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 6. *n.* 22. Vivian. *de jurep. P.* 1. *lib.* 4. *cap.* 9. *n.* 21. *et* 24.

(b) Piton. *alleg.* 100. *n.* 606.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 22. *in fin.* Rota ap. eumd. Fargnam *post dict. cas.* 6. Piton. *alleg.* 10. *num.* 27.

(d) *Alleg.* 10. *n.* 25. *in fine*, *et* 26.

cum vocatio sit collectiva nedum plurium personarum, sed etiam graduum, filii non possunt concurrere cum eorum patre; sed successio est gradatim deferenda in magis proximos, remotioribus exclusis.

Cujus quidem successionis rationem deducit ipse Pitonius (*a*) a majore fundatoris affectione erga filios primo vocatos, et a juris quoque sanctione quoad successionem fideicommissariam, in qua proximiores semper excludunt remotiores. Sed vide, quae infra dicam, dum de jurepatronatus loquar lineali. Quod autem dixi de foeminis proximioribus; quod excludant masculos remotiores, de jurepatronatus gentilitio minus rigorose sumto intelligendum est, quod defertur descendentibus ratione sanguinis, non agnationis. Nisi reservatum sit masculis, seu descendentibus masculis in genere: nam tunc in juspatronatus etiam gentilitium succedunt omnino masculi, exclusis foeminis, juxta magis communem, atque in Rota, et Curia pro regula receptam opinionem, prout testatur Cardinalis de Luca (*b*), cui antesignanus fuit doctissimus Fulgosius *cons.* 85., ut verbum masculorum complectatur non solum masculos ex masculis, sed etiam masculos ex foeminis; *quoniam sufficit sexus, non curato medio*, ut pragmatici ajunt (*c*). Etiamsi reservatum fuerit masculis primogenitis, quia nomen primogeniturae, in materia praesertim indifferente jurispatronatus, non sem-

(a) *Alleg.* 10. *n.* 27.
(b) *De jurep. disc.* 28. *n.* 3.
(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 28. *n.* 3. Piton. *discep. eccles.* 14. *n.* 6. *et* 7.

semper indicat agnationem, sed interdum perpetuitatem (*a*). *nisi* (animadvertit Fargna (*b*)) *constaret de contraria mente fundatoris*; sicut doctores distinguunt majoratum *agnationis* a majoratu, quem appellant *masculinitatis*, quemque complecti etiam masculos ex foeminis docuerunt (*c*), *quia masculi magis, quam foeminae, bonis indigent, ut publica munera, aliaque onera possint decenter subire, et quia vere masculorum est familias constituere, bona administrare, et in debitos usus expendere*, ut inquit Joseph de Rosa (*d*).

Reservatum vero juspatronatus primogenito sine distinctione masculinitatis censeri reservatum masculo primogenito, exclusa foemina, alii docent (*e*), quia ipsa vox *primogenitus* intelligitur de primogenito masculo; neque foeminam succedere posse ipsi dicunt, nisi in defectum masculorum. Imo reservatum juspatronatus filio primogenito a fundatore, qui plures masculos habeat, et in ejus defectum filiae primogenitae, neque ad filiam primogenitam transire docuit de Roye (*f*), nisi in defectum omnium masculorum sine liberis, cum tunc sub verbo primogeniti comprehendatur secundogenitus, tertiogenitus,

N 3 etc.

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 20.
(b) *Loc. cit. n.* 20.
(c) Molina *de primogen. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 48. *et* 49. Joseph de Rosa *consult. jur.* 69. *n.* 19., *et* 41.
(d) *Loc. cit. n.* 19.
(e) Ap. Tiraqvell. *de jur. primogenit. qu.* 10., et de Roye *in prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 9. *vers. tertio*.
(f) *Loc. cit. vers. secundo ſi Paulus*.

etc., si primogenitus sine liberis decesserit. Sicut vocatis nepotibus in jurepatronatus sive activo, sive passivo intelliguntur vocati tam nepotes ex fratre, seu filii fratris, quam nepotes ex sorore, seu filii sororis, cum inter nepotes ex fratre, et nepotes ex sorore nullum sit discrimen, nullus ordo charitatis, utpote aequali sanguinis vinculo conjuncti fundatori (*a*). Nisi tempore fundationis fundator filios haberet, quia tunc sub verbo nepotum comprehenduntur nepotes ex filio (*b*); aut nisi statutum adesset exclusivum nepotum ex sorore ob existentiam nepotum ex fratre; vel ex ipsa fundatione expresse, vel tacite, idest conjecturis, aliud constaret (*c*).

Utrum vero vocatis filiis censeantur vocati nepotes in defectum filiorum, affirmative respondet Pitonius (*d*). Ista tamen quaestio, num sub nomine filiorum censeantur vocati nepotes in parte tam *conditionali*, quam *dispositiva*, ut loquuntur doctores, varias limitationes, et declarationes recipit, quas vide apud Fusarium *qu.* 319., et Card. de Luca *de fideicom. disc.* 16. *n.* 90. Vocatis vero filiis, et nepotibus, succedunt quoque filiae, et neptes: etenim *pronunciatio sermonis in sexu masculino ad utrumque sexum plerumque porrigitur*, ut inquit Ulpianus in *l. pronunciatio* 195. *ff. de verb.* si-

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 20., *et cas.* 12. Rota ap. Fargnam *post dictum cas.* 12. Card. de Luca *de fideicom. disc.* 16. *n.* 9.

(b) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 14. *n.* 2. 3. *et* 6.

(c) Fargna *loc. cit. n.* 13., *et* 14.

(d) *Alleg.* 51. *n.* 2. 3. *et* 11.

signif. Itaque neptis defuncto ex filio admittitur ad juspatronatus in concursu cum patruo, si pater ejus simul cum patruo vocatus fuerit ad juspatronatus cum conditione, *si sine filiis decesserint*, ut infra dicam loquens de jurepatronatus lineali. Verbum igitur masculorum complectitur tam masculos ex masculis, quam masculos ex foeminis: nisi juspatronatus reservatum fuerit masculis per lineam masculinam descendentibus, quia cum juspatronatus tunc dicatur familiare, seu agnatitium, sub verbo masculorum comprehenduntur solum masculi ex masculis (*a*); juxta distinctionem jurispatronatus masculini in linea qualitatis, et in linea substantiae, quam in fideicommisso adfert Joseph de Rosa (*b*).

Sive vero in priore, sive in posteriore specie jurispatronatus, vocatis masculis, numquam foeminae succedunt, nisi in defectum masculorum, quia etiam foeminae dicuntur de linea masculina, et retinent jura agnationis, licet sint finis agnationis (*c*), *cum unius sanguinis jura remaneant per virilem sexum incorrupta*, ut inquit Justinianus in *l.* 14. *cod. de legitim. hered.*, etiam in aliena familia nuptae (*d*), aut moniales; quae si professionem emiserint in Religione, quae potest bona acquirere, et retinere, sunt etiam successionis ca-

(a) Piton. *alleg.* 76. *n.* 4.
(b) *Consult.* 69. *n.* 41.
(c) Surdus *cons.* 140. Card. de Luca *de jurep. disc.* 22. *num.* 15.
(d) Peregrin. *de fideicom. art.* 25. *num.* 47. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 9.

paces, quia per professionem in hujusmodi Religione emissam foeminae jura proximitatis, agnationis, et sanguinis servare non desinunt (*a*): et ita semper a Rota fuisse decisum refert Pitonius (*b*). Admittuntur etiam in fideicommissis, et primogenituris agnatitiis (*c*), etiamsi ob matrimonium, aut professionem religiosam renunciationem fecerint omnium bonorum tam ex linea paterna, quam ex linea materna obvenientium, sive personalem, sive realem, juxta duplex renunciationis genus supra citatum, quod distinguunt doctores (*d*). Etenim per renunciationem jurium sive paternorum, sive maternorum non censetur renuntiatum jus successionis ad juspatronatus, quod non dicitur de bonis paternis, aut maternis, neque competit foeminae ex persona patris, aut matris, sed ex persona fundatoris, neque de ea cogitare poterat renuncians, dum adhuc existebant masculi, ad quos juspatronatus pertinebat (*e*).

Dum autem dico, foeminas in defectum masculorum, seu *per posterius*, ut pragmatici loquuntur, succedere in juspatronatus familiare, seu agnatitium, num foeminae proximiores fundatori, seu gravanti, aut proximiores gravato, seu ultimo masculo possessori jurispatronatus succedant, exploratum

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 9. *et* 10.

(b) *Alleg.* 66. *n.* 4. *et discept.* 14. *n.* 6. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 5. *n.* 23. *et cas.* 13. *n.* 9.

(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 22. *n.* 13. *et* 15. Piton *alleg.* 77. *n.* 20.

(d) Ap. Card. de Luca *de renunciat. disc.* 1. *n.* 8.

(e) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 12.

tum in jure non est. In fideicommisso, a quo non differt juspatronatus, non levis quaestio est inter doctores, num foemina proximior testatori, seu gravanti excludat remotiorem, nempe proximiorem gravato, quam vide apud Fusarium *de subst. qu.* 484. *n.* 21. *ad* 28., *et* 29. *ad* 35.. Testatur vero Cardinalis de Luca (*a*) passim receptam esse opinionem, utpote aequitati consonam, ut succedat foemina proximior gravato, non gravanti: quam eo magis pro masculis descendentibus ipsi gravato proximioribus receptam fuisse in foro *pro regula*, et praesertim in Rota, modo non obstet contraria testatoris voluntas, refert idem Cardinalis de Luca (*b*); *quamvis apud antiquiores haec fuerit una de magis involutis quaestionibus*, ut inquit ipse. Et sane fatetur Joseph de Rosa (*c*) *quaestionem hanc* (sunt verba auctoris) *unam ex iis esse, quam doctores acriter disputant scissis hinc inde sententiis, sed infelici, ut plerumque solent, eventu: etenim ardore controversiae, et multitudine argumentorum obruunt potius, quam eruunt veritatem*. Alii namque opinionem sequentes Bartoli in *l. si cognatis ff. de reb. dub.* dixerunt successionem pertinere ad proximiorem gravanti, seu testatori: alii sequentes opinionem Socini in *ead. leg.* ad proximiorem gravato, seu ultimo morienti pertinere docuerunt.

Istam quaestionem vide apud dictum Josephum de Rosa *consult. jur.* 2. *num.* 2. *ad* 16. Fusar. *de sub-*

(c) *De fideicom. disc.* 236. *n.* 9.
(d) *De fideicom. disc.* 23. *n.* 4.
(e) *Consult. jur.* 2. *n.* 2.

substit. qu. 484. *n.* 1. *ad* 14., et Peregrin. *de fideicom. artic.* 20. . In qua alii doctores mediam tenuere sententiam apud eumdem de Rosa *loc. cit. n.* 4. *et seq.* , *et n.* 22. *et seq.* , et Fusarium *loc. cit. n.* 21. *et seq.* , duas adhibentes distinctiones , alteram nempe quod , aut agitur de substitutione simplici, puta si quis institutionem , aut plures substitutiones faciat , et deinde proximiores substituat, et successio intelligitur de proximiore gravanti, seu testatori : aut agitur de substitutione vere fideicommissaria , seu *de ea substitutionis specie , quae non in prima admissione extinguitur , sed tractum successivum, et perpetuum habet, ita ut omnes sint successive , et perpetuo unus post alium admittendi* , ut subjicit idem de Rosa , et proximitas intelligitur de proximiore gravato , seu ultimo morienti . Et potiore quidem ratione , quae partim ex ipsius testatoris affectione oritur , partim ex juris sanctione , quoad successionis ordinem servandum. Eadem enim affectione, qua aliquem testator vocavit ad fideicommissum , vocasse praesumitur ejus descendentem proximiorem , si descendens quoque a testatore sit , ut ratiocinantur doctores apud Fusarium *loc. cit. n.* 14. 17. *et* 30. *ex l. cum avus ff. de condit. et demonstr.*, ubi Papinianus respondit , institutis ab avo heredibus filio suo, ac nepote ex altero filio cum conditione, *ut, si intra annum trigesimum moreretur, hereditatem patruo suo restitueret* , mortuo nepote intra dictum annum trigesimum liberis relictis , eos et non patruum substitutum succedere: rationem subjiciens , scilicet *fideicommissi conditionem conjectura pietatis etc. defecisse* . praesertim cum successio in fideicommissum eodem modo fiat , quo ceterae ab in-

intestato successiones, ut docent communiter doctores apud Fusarium *loc. cit. n.* 11. *ad* 13., et Peregrinum *de fideicom. art.* 29. *n.* 20. Ab intestato autem gradus proximitas mensuratur ex ultimo gravato defuncto, ut patet ex *l.* 2. §. *proximum ff. de suis et legitim.*, ubi Ulpianus ait: *proximum non eum quaerimus, qui tunc fuit, cum moreretur paterfamilias, sed eum, qui tunc fuit, cum intestatum decessisse certum est.*

Altera distinctio est, quod si agatur de successione transversalium, vel de transitu ab una linea ad alteram, vel de uno genere ad alterum, proximitas consideratur ex persona testatoris, et ita refert Fusarius *loc. cit. n.* 21. fuisse in foro judicatum. Quam distinctionem et in majoratibus, ac primogenituris vim obtinere concludit laudatus de Rosa *loc. cit. n.* 15. ex communi, ut refert, doctorum sententia. Quod vero dicitur de mutatione generis personarum, ita explicat Cardinalis de Luca (*a*), nempe si mutatio sit generis personarum, in quo *proximiores gravati attinentiam non habent cum gravante*; non autem si mutatio personarum sit *inter aeque descendentes ab eodem testatore, cujus aequalem habent rationem sanguinis, vel affectionis: unde solum datur diversitas ordinis per prius, et per posterius ratione sexus, vel alterius qualitatis* (*b*). Et declarando supradictam limitationem mutationis generis personarum, ubi inter aeque descendentes non sit, docet (*c*) *eam non procedere, ubi agatur de fideicommisso protracto in tempus remotissimum, post quod*

te-

(a) *De fideicom. disc.* 23. *n.* 10. *in fine, et* 11.
(b) Card. de Luca *loc. cit. n.* 8. §. *aut enim.*
(c) *Loc. cit. n.* 7.

testator verisimiliter credit casum substitutionis eventurum esse, cum tunc urgeat eadem supradicta ratio difficultatis justificandi proximioritatem, ac inextricabilis litium anfractus; ideoque etiam isto casu proximitas gravati attendi debet. Quae omnia procedunt, nisi aliud suadeant verba testatoris. Nam si ex testamento appareat fuisse a testatore vocatos ad successionem proximiores sibi, proximior gravanti excludit proximiorem gravato. Utrum autem hujusmodi successio proximioris gravanti, seu testatori inducatur per verba testamenti, quibus testator dixerit succedere debere proximiores *sibi*, vide Fusarium *loc. cit. n.* 19. *et* 20., & Card. de Luca *de fideicom. disc.* 23. *n.* 15.; aliasque juris limitationes, aut ampliationes vide apud eumdem Fusarium in *dict. qu.* 484. apud Cardinalem de Luca in *dict. disc.* 23., et apud Josephum de Rosa in *dict. consult. jur.* 2.

Foeminae autem sive gravanti, sive gravato proximiores succedunt excluso etiam masculo primogenito alterius lineae, si fieret transitus de altera linea ad alteram (*a*), saltem si jurispatronatus natura familiaris, seu agnatitia deducatur ex instrumento fundationis, et non ex observantia, ut animadvertit Pitonius (*b*), super qua vide, quae dicit idem Pitonius (*c*), cum juspatronatus transire nequeat de altera linea ad alteram, nisi evacuata tota prima linea jam admissa per obitum foe-

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *n.* 6. Peregrin. *de fideicom. art.* 27. *n.* 13. *et seq.*
(b) *Discept. eccles.* 26. *n.* 4.
(c) *Loc. cit. n.* 8. *ad* 11.

foeminarum agnatarum juxta communiter a doctoribus receptam sententiam (*a*) Rotae decisionibus confirmatam. Sicut jure feudorum facta feudi concessione duobus fratribus ea conditione, ut foeminae succedere nequeant, nisi in defectum masculorum, si alter eorum moriatur superstite filia, ejus portio filiae defertur, excluso altero fratre etiam superstite. Etiamsi apposita fuerit clausula taxativa *tantum*, si ex. gr. juspatronatus reservatum fuerit *pro masculis tantum*, sive pro masculis *primogenitis tantum*: nam illa dictio *tantum*, in materia praesertim indifferente jurispatronatus, non dicitur taxativa ad limitandum juspatronatus, vel ad limitandam voluntatem fundatoris pro solis masculis, exclusis foeminis agnatis in eorum defectum, sed ad limitandas personas, seu ad excludendas foeminas in concursu dumtaxat masculorum (*b*).

Accedit indubitatum illud juris axioma, quod praesumi non debet fundatorem recedere voluisse a naturali methodo succedendi (*c*), nisi, ut supra dixi, contrarium constet ex fundatione sive expresse, sive tacite, seu per conjecturas, puta si fundator juspatronatus reservasset sibi, et filio primogenito masculorum per rectam lineam masculinam descendenti, substituendo in ejus defectum li-

(a) Ap. Josephum de Rosa *consult. jur.* 2. *n.* 24. Piton. *alleg.* 100. *n.* 494., *et discept.* 26. *n.* 3. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *n.* 12.

(b) Piton. *discept. eccles.* 14. *n.* 13. *ad* 20., *et discept.* 33. *n.* 5. *ad* 7.

(c) Piton. *alleg.* 13. *n.* 8.

lineam suarum filiarum (*a*), aut primogenito familiae, foeminis semper exclusis, aut descendentibus masculis de primogenito in primogenitum (*b*), cum tunc, extincta prima linea in ultimo masculo ejusdem lineae, juspatronatus non transeat ad foeminas ejusdem lineae, sed transeat immediate ad alteram lineam; seu datur locus successioni alterius lineae, foeminis exclusis (*c*).

Illud quoque commune est utrique juripatronatus tum gentilitio, tum familiari, seu agnatitio, vel etiam mixto, licet divisum sit per lineas, prout dicam infra, ut juspatronatus in ultimo de gente vocata, seu de descendentia, aut de familia, fiat hereditarium juxta celebre Ancharani *consil.* 81. communiter a doctoribus, et in foro receptum, ut non deferatur ad liberam Ordinarii collationem (*d*), etiam adjecta clausula taxativa *tantum*, quae appellatur a doctoribus (*e*) *limitativa personarum*, non *limitativa* jurispatronatus: nisi juspatronatus sit ex privilegio, quod concessum soli familiae ad heredes non transit (*f*); aut nisi ex

(a) Molin. *de primogenitur. Hispan. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 69.

(b) Fargna *loc. cit. cas.* 13. *n.* 20.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 13. *n.* 17.

(d) Lambert. *de jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 2. *art.* 4. *n.* 1. *et seq.* Card. de Luca *de jurep. disc.* 35. *n.* 3. Piton. *alleg.* 91. *n.* 25. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 16. *n.* 1. *et* 2.

(e) Piton. *discept. eccles.* 14. *n.* 18. *ad* 20. *et discept.* 33. *n.* 5. *et* 6. Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 28. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 16. *n.* 1. *et* 2.

(f) Piton. *discept. eccles.* 33. *n.* 8.

ex ipſa fundatione appareat dictam clauſulam eſſe taxativam ipſius juriſpatronatus, ejuſque reſervationi pro ſola familia adjectam, ita ut ad heredes tranſmitti nequeat (*d*).

Praeter dictos caſus, ac alterum caſum devolutionis ex cauſis ſupra enunciatis nullum jus poteſt Epiſcopus ſibi vindicare ſuper beneficiis juriſpatronatus. Quare nec beneficia juriſpatronatus, nec partem fructuum eorum poteſt Seminario adnectere, neque ad eccleſiam matricem, ſi ſint beneficia ſimplicia, vel ad viciniorem eccleſiam, ſi ſint beneficia juriſpatronatus parochialia, transferre poteſt ob neceſſarias reſtaurationes a patronis omiſſas, ad quas faciendas neque cogere poteſt patronos laicos ſua auctoritate; licet ſecus ſit de jure, quod certe jus in regno non obtinet uti contrarium ejuſdem regni politiae. Namque cum noviſſimo Concordato *cap.* 5. *art.* 1. eccleſiae, et loca pia laica, modo regiae fundationis non ſint, aut in limine fundationis immediatae regiae protectioni ſubjecta, viſitari poſſint *quoad ſpiritualia tantum*, decreta ſanctae Viſitationis non ad patronos, aut adminiſtratores eccleſiarum diriguntur, ſed ad ipſas eccleſias; nempe decernitur, ut eccleſiae reſtaurentur, aut ornentur ornamentis neceſſariis ſub poena, ſi opus ſit, interdicti ipſarum eccleſiarum.

Denique pro hujusce materiae concluſione non omittenda quaeſtio ſatis implexa inter doctores, et

---

(c) Piton. *diſcept. eccleſ.* 33. *n.* 8.

et quae non raro agitur in foro, quinam scilicet dicantur legitimi descendentes, aut legitimi successores de familia in jurepatronatus tam gentilitio, quam familiari, seu agnatitio, utrum filii legitimi, et naturales tantum, an illegitimi quoque, seu naturales, aut spurii. Et ut de eorum jure in successione jurispatronatus dicam, oportet, ut quinam jure civili, vel canonico naturales sint, quinam spurii, breviter pro mei instituti ratione dicam, et quid de eorum successione in hereditatem lex statuerit.

Ad jus civile quod attenet, naturales sunt, *quos natura, non lex agnoscit*, seu qui *ex concubina unica domi habita proveniunt*, ut explicat Perezius in *praelect. ad XII. Lib. cod. tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 27. *n.* 1. nempe *si suscepti sint ex concubina domi retenta in schemate, et figura matrimonii*, ut explicat Card. de Luca ex communi doctorum sententia (*a*): jure vero canonico dicuntur naturales, qui licet ex illegitimo matrimonio nati, non tamen ex coitu a jure civili damnato nati sunt, puta adulterino, incestuoso, aut sacrilego (*b*). Spurii, seu *vulgo concepti*, aut *quaesiti*, ut jure quoque civili vocantur, sunt, *qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet*; ut eos definivit Modestinus in *l.* 23. *ff. de statu hominum*; *quales etiam dicuntur nati ex damnato complexu*, ut subjicit idem Perezius *loc. cit.*, qui in jure dicuntur tur-

(a) *De testam. disc.* 61. *n.* 9.

(b) Michal. *de fratr. P.* 3. *cap.* 2. *n.* 26. Card. de Luca *de testam. loc. cit. n.* 10.

turpes personae . Sacrilegi autem *ex veriori , magisque recepta sententia* , ut inquit Card. de Luca (*b*) , sunt filii nati ex patre in sacris constituto , aut ex Regulare professo ob legem ecclesiasticam, seu solemne castitatis votum; non ex clerico in minoribus constituto, qui communi usu dicuntur *fornicarii* : nisi nati sint ex clerico in minoribus concubinario , qui jure canonico dicuntur etiam ex damnato coitu procreati , cum jure canonico concubinatus sit expresse damnatus , *adeo ut ea qualitas, quae attento jure civili in laicis prodest, in clericis attento jure canonico noceat*, ut subjicit idem Cardinalis de Luca (*a*) ex Barbosae, Farinacii , aliorumque ab ipso relatorum doctorum sententia .

Verum haec opinio , ni fallor, corruit ex ipsa ratione , quam afferunt , scilicet quod concubinatus clericis sit jure canonico expresse damnatus . Nam explorati juris est simplicem fornicationem esse in clerico adhuc in minoribus constituto expresse damnatam , et tamen filii non dicuntur ex damnato coitu procreati, seu personae turpes: ideo legitimari possunt per subsequens matrimonium , cum non videantur nati ex complexu damnato , ut tuetur Perezius *loc. cit. n.* 13., et Covarruvias ab eodem Perezio relatus contra Sarmient. Etenim *ejus ratio minus est efficax , quod tempore conceptionis pater non erat solutus ; nam plane solutus fuit , siquidem regulae continentiae nondum se addixerat* , ut perbelle respondet idem Perezius *loc. cit.*. Et idem

(a) *De testam. loc. cit. n.* 7.
(a) *De testam. loc. cit. n.* 8.

post Covarruviam docet *de concepto ex sponsa alterius, quod damnata non sit; cum ea copula, licet sit magis deformis, quam fornicatio simplex, non impedit tamen quin illa possit alteri nubere*. Et tandem concludit; *sufficit ergo, quod tempore conceptionis potuerint parentes legitime matrimonium contrahere, ut ex matrimonio secuto filii legitimi efficiantur*. Nullum igitur in hac re mihi videtur esse discrimen inter jus civile, et canonicum.

Utrum vero ex damnato coitu procreati dicantur, si nati sint ex complexu inter virum conjugatum, et mulierem matrimonio solutam, acriter contendunt doctores (*a*). Praxis vero, et communis usus, quem testatur Cardinalis de Luca (*b*), distinguit *concubitum accidentalem,* seu *casualem* a *formali concubinatu*, et adulterinos filios eos appellat, qui nati sunt ex viro conjugato, et muliere soluta in *formali concubinatu*, non autem in *accidentali concubitu*. Quia *de consuetudine* (subjicit idem Card. de Luca (*c*)) *violatio maritalis per accidentalem concubitum cum foemina soluta, ubi non accedat qualitas concubinatus, non est punibilis; hinc filii ita procreati dicendi non sunt ex damnato coitu, adeo ut jure cognationis quoque privati remaneant*. Et ita post alios scriptores absolute docet Pitonius loquens praecise de jurepatronatus (*d*). Jure, inquam, cognationis: nam filii naturales, *etsi patrem demonstrare*

(a) Ap. Peregr. *de jur. fisc. lib.* 3. *tit.* 18. *n.* 35. *et seq.*
(b) *De success. disc.* 10. *n.* 15.
(c) *De success. loc. cit. n.* 15.
(d) *Discept. eccles.* 53. *n.* 43. *in fin. in annotat.*

strare possunt, jura tamen agnationis in familia patris non habent, quippe quae nemo ex naturalibus liberis consequitur, nisi qui ex legitimo matrimonio natus est: ceteri omnes matrem sequuntur, ut perbelle explicat Vinnius in *comment. ad Instit. lib. 3. tit. 5. pag. 612. n. 1.*, et infra fusius dicam, dum loquar de eorum successione in juspatronatus; num scilicet filii naturales succedant in juspatronatus gentilitium tantum, in quo sola cognationis ratio habetur, aut in juspatronatus etiam familiare, seu agnatitium, in quo non sanguinis solum, sed agnationis quoque jura considerantur.

Ad successionem hereditariam quod attinet, in quaestione, utrum naturales succedant jure civili considerati, nempe si nati sint ex concubina domi retenta in schemate, et figura matrimonii, ut supra dixi verbis Cardinalis de Luca, an canonico, nempe, ut sufficiat eos natos esse ex coitu non damnato, post alios docet idem Card. de Luca *probabilius*, ut ipse ait (a), quod *in hac successionis materia non jus canonicum, sed civile attendi debet; ut etiam advertitur* (subjicit ipse) *sub titulo de success. ad materiam graduum, ut non accedente expressa dispositione in contrarium, illorum computatio ad limites juris civilis, non autem canonici, facienda sit.* Quod num in dicto jurepatronatus gentilitio vim quoque obtineat, infra pariter dicam loquens de successione filiorum naturalium in juspatronatus gentilitium.

Ad successionem in juspatronatus quod attinet, Vi-

(a) *De testam. disc. 61. n. 10.*

vianus (*a*) absolute docet eos in juspatronatus non succedere, nisi in juspatronatus hereditarium, si sint heredes patronorum, aut in juspatronatus etiam gentilitium, si sint legitimi. Ita quoque docent de Curte (*b*), et Thesaurus (*c*). Alii distinguunt vocationem descendentium per *verba civilia*, et vocationem descendentium per *verba naturalia* (*d*). Si vocatio sit *per verba civilia*, puta si juspatronatus reservatum fuerit domui, et familiae, seu agnationi, illegitimi, etiam naturales, utpote jura agnationis non habentes, non succedunt (*e*); licet succedere quoad alimenta patronis debita in juspatronatus etiam familiare, seu agnatitium, aut saltem facere numerum ad ea taxanda dixerit Rota (*f*). Et ita intelligendam esse subjicit Fargna (*g*) contrariam Lambertini auctoritatem in *lib.* 1. *de jurep. part.* 2. *qu.* 2. *art.* 26. *n.* 11., ubi ait: *et sic ex omnibus supradictis posset fieri unica conclusio generalis, ut ita demum filii illegitimi succedant patri, vel matri, si sint illorum heredes, alias nullo modo eis succedunt in jurepatronatus*: et *art.* 27. *n.* 1., ubi relatis aliorum opinionibus ait:

ta-

(a) *Lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 65. *ad* 70. *P.* 1.

(b) *Verb. competens n.* 19.

(c) *Decis.* 19.

(d) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 1. *et.* 2. *cap.* 10. *n.* 6, 7. *et* 8.

(e) Fargna *loc. cit. cas.* 10. *n.* 7. Piton. *discept. eccles.* 53. *n.* 35. *ad* 43.

(f) *In Salernitana alimentorum super. taxatione coram Falconario die* 16. *Decembris* 1712. ap. Piton. *post alleg.* 44. *n.* 113.

(g) *Loc. cit. cas.* 10. *n.* 13. *et* 14.

tamen contrarium est verius, quia tales illegitimi non dicuntur, nec sunt de parentela : scilicet intelligendam esse de successione filiorum naturalium in juspatronatus familiare, seu agnatitium, *nisi* (subjicit idem Fargna, relatis doctorum opinionibus, et Rotae decisionibus (a)) *adsit generalis consuetudo, et usus loquendi, juxta quem filii illegitimi dicantur de domo, et familia . . . . . ., aut nisi sint legitimati . . . : ea ratione, quia tunc fundator praesumeretur se conformare voluisse cum dicta consuetudine, et usu loquendi*. Sic sane in Italia obtinet consuetudo, quam testatur Pitonius (*b*), ut filii etiam naturales dicantur de domo, et familia, praesertim si quaestio versetur non cum legitimis, sed cum extraneis: *quo in casu absurdum profecto reputandum esset*, (opportune post alios animadvertit Pitonius (c)) *quod juspatronatus transiret ad illos, quam quod in naturalibus nomen, et insignia familiae fundatoris deferentibus subsidiarie continuaretur*.

Nisi, inquam, sint legitimati, quod circa successionem hereditariam non accipiendum est de quacumque legitimatione, sed de ligitimatione *pura et plenaria*, ut eam appellat Cardinalis de Luca (*d*), scilicet sine clausula, *sine praejudicio venientium ab intestato*. Imo jure novissimo in *novell.* 74. *cap.* 2., *et in novell.* 89. *cap.* 9. filii legitimati per rescriptum Principis quoad hereditatem non succedunt, nisi in defectum legitimorum. *Neque enim* (in-

 quit

(a) *Loc. cit. cas.* 10. *n.* 14.
(b) *Discept. eccles.* 53. *n.* 39.
(c) *Dict. discept.* 53. *n.* 40. *in fin., et* 41.
(d) *De success. disc.* 10. *n.* 16.

quit Perezius in *comm. ad XII. Lib. Cod. tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 55. *n.* 14.) *Princeps legitimando censetur liberis justis voluisse praejudicare: imo non solet Princeps, extantibus justis, legitimare naturales, nisi id expresse voluerit, addita clausula de plenitudine potestatis.* Legitimati vero per subsequens matrimonium parentibus in hereditatem aequo jure succedunt, ac nati ex legitimo matrimonio, ut sanxit Justinianus *Instit. tit. de hered. quae ab intestat. deferuntur* §. 2., et in *l.* 10. *et* 11. *cod. de natural. liber.*: ideo potiori jure ſuccedunt in juspatronatus, prout in fideicommissum familiae relictum indubitatum est legitimatos per subsequens matrimonium succedere. Et licet a successione feudali legitimati excludantur (*a*), quia *legitimati cognati sunt, non adgnati*, notat Gothofredus *ad lib.* 2. *feudorum tit.* 26. (*b*); legitimatos vero per subsequens matrimonium succedere docuit major pars feudistarum (*c*), et notat Gothofredus *loc. cit.*; quorum sententiam in praxi fuisse receptam, et quotidie servari refert Schurff. (*d*), licet pro legitime natis feudum concessum fuerit (e).

Si vero juspatronatus reservatum sit primogenitis, contendunt doctores, utrum legitimato per subsequens matrimonium debeatur post legitimorum nativitatem, an nato ex legitimo matrimonio

---

(a) *Cap. naturales, tit.* 26. *si de feudo defuncti contentio sit &c.*

(b) *Dict. cap. naturales n.* 50.

(c) Andreas de Isern. *d. vers. naturales.*

(d) *Cons.* 1. *n.* 16. *centur.* 1.

(e) Julius Clarus *de feud. qu.* 82. *n.* 4. *et* 5.

nio. Gomez (*a*), Tiraquellus (*b*), aliique, quibus consentire videtur Perezius (*c*), docent deberi nato ex legitimo matrimonio. Nam *si quis ex intermedio matrimonio natus fuerit, aequissimum est illi concedere jus primogeniturae, quod in eo tamquam primo legitime nato radicatum est ipso nativitatis tempore, ut non debeat illi auferri per legitimationem ejus, qui primo quidem natus, sed non legitime*, ut inquit ipse Perezius (*d*). Covarruvias vero (*e*) relatus ab eodem Perezio (*f*) ex *cap. tanta, qui filii sint legitimi*, docet legitimatum per subsequens matrimonium excludere natum ex matrimonio legitimo, quia nullum jus succedendi quaeritur nato ex legitimo matrimonio per ejus nativitatem ex dicto legitimo matrimonio, sed spes tantum ei quaeritur succedendi post obitum patris, quae impeditur ab ipsa per subsequens matrimonium legitimatione, cum legitimatio spem succedendi antecedat, ut doctores loquuntur. Requiritur nempe legitimo primogenitura in morte patris, et actus legitimationis fictione juris retrotrahitur ad tempus nativitatis. Quae doctrina visa doctoribus fuit juri magis consona, si casum excipias fuisse feudum concessum pro successoribus, et descendentibus *per legitimam nativitatem, et procreationem*, saltem ut docet Cardinalis de Luca *de*

 feud.

(a) *Ad l. 9. Tauri n.* 63.
(b) *De retractu qu.* 34.
(c) *Lib. 6. tit.* 55. *n.* 12. *et* 13.
(d) *Loc. cit.*
(e) *De matrim. part.* 1. *cap.* 3. §. 2. *n.* 34.
(f) *Loc. cit. n.* 13.

feud. disc. 15. Vide auctores superius citatos, ac Ferrarium *de feud. part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 29.

Si vero descendentes vocati sint per *verba naturalia*, omnes conveniunt filios naturales succedere in juspatronatus; puta si vocati sint *consanguinei*, vel *illi de sanguine*, nempe si juspatronatus sit gentilitium, in quo omnes de sanguine jus habent, sive agnati, sive cognati, sine distinctione familiae, seu agnationis (*a*): *nisi* (animadvertit Fargna post Baldum, Gratianum, et Rotam ab ipso citatam (*b*)) *adesset consuetudo, aut statutum particulare exclusivum spurii, illegitimi, et naturalis, aut nisi juspatronatus competeret ex mero privilegio, aut nisi fuisset requisita aliqua qualitas exclusiva illegitimitatis, videlicet si fuisset reservatum juspatronatus pro consanguineis clericis, aut denique nisi aliud constaret de mente fundatoris; tunc enim etiamsi illi de sanguine in reservatione jurispatronatus vocentur per verba naturalia, adhuc in eo succedere non possunt illegitimi, aut spurii.*

Eamdem sententiam tueri videtur Cardinalis de Luca (*c*), qui referens dictam Viviani sententiam excludentem filios naturales a quacumque specie jurispatronatus jure sanguinis, seu *parentelae*, ut loquitur ipse, eam intelligit de jurepatronatus familiari, seu gentilitio rigorose sumto, idest agnatitio. Nam loquens de hujusmodi illegitimis, eos in juspatronatus familiare, seu gen-

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 10. *n.* 8. *et seq.* Piton. *discept. eccles.* 53. *n.* 35.

(b) *Loc. cit. cas.* 10. *n.* 9.

(c) *De jurep. disc.* 37. *n.* 7.

gentilitium non succedere docet, *utpote non habentes agnationem, nisi essent cum pura, et non limitata legitimatione plenarie natalibus restituti, adeo ut pro vere legitimis in omnibus habendi essent.* Quod certe de simplici gentilitio, seu de gentilitio minus rigorose sumto intelligi nequit, cum in eo nulla familiae, seu agnationis, sed cognationis tantum ratio habeatur; attenta praesertim *elocutione ecclesiastica*, ut ait ipse Cardinalis de Luca (*a*), quam ipse docet *in materia jurispatronatus, vel alia ecclesiastica attendendam esse*, quia vox *consanguineorum*, aut *parentelae* (*b*) complectitur omnes *quomodocumque per sanguinem conjunctos* / ut testatur idem Card. de Luca (*c*).

Utrum idem de voce *descendentium* dicendum sit, *verius est* (docet idem Card. de Luca loquens de fideicommissis (*d*)) *eos tam in parte conditionali, quam fortius in parte dispositiva sub filiorum, vel descendentium nomine non venire*, nisi cum illegitimis concurrant extranei: quia concurrentibus extraneis, praesumtio mentis fundatoris est pro illegitimis (*e*). Alii loquentes praecise de jurepatronatus absolute docent (*f*) naturales succedere, sive juspatronatus reservatum sit *consanguineis*, aut *illis de parentela*, sive reservatum sit *descendentibus*. Ac in juspatronatus etiam hereditarium, aut reale eos succedere subjicit idem Card. de Luca

---

(a) *De praeem. disc.* 13. *n.* 17.
(b) *De praeem. disc.* 13. *n.* 17.
(c) Card. de Luca *de praeem. disc.* 13. *n.* 17. *et* 20.
(d) *In summa fideicomm. n.* 137.
(e) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 68.
(f) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 10.

ca (*a*), si qualitatem hereditariam habeant, et in rem, cui est adnexum juspatronatus, *nisi obstet verisimilis intentio fundatoris*. Eamdem pariter sententiam tuetur Pitonius (*b*), rejecta contraria Garziae, aliorumque doctorum opinione, eamdemque sententiam Rotae decisionibns confirmat, si juspatronatus reservatum sit consanguineis, aut *illis de parentela*, quia *vocabulum consanguinei est naturale, non civile*, ut ipse subjicit: licet in jurepatronatus passivo, ceteris paribus, institutio debeatur legitimo, si sit in aequali gradu, excluso illegitimo (*c*). Imo docet (*d*), quod in dubia fundatione *a fundatore imperito juris subtilitatum ignaro verba potius censentur prolata in sensu naturali, quam civili, etiamsi ea civilia dici possint*.

Sub verbo illegitimorum complectitur Fargna (*e*) quoscumque illegitimos, non solum naturales, sed etiam spurios, referens pro sua sententia plures Rotae decisiones. Ubi tamen ejus sententia innitatur, non video, cum certum sit magnum esse discrimen inter naturales, et spurios. Eos tamen alii doctores non excludunt, *licet naturales ad differentiam spuriorum minora obstacula in jure patiantur tam ad effectus honorificos, quam successionis*, ut inquit Pitonius (*f*), quia spurii sunt *a jure magis exosi*, ut ipse ait. Sed distinguunt (*g*) fundationem pro con-

---

(a) *De Jurep. discept.* 37. *n.* 7.
(b) *Discept. eccles.* 41. *n.* 3.
(c) Piton. *discept. eccles.* 7. *n.* 4. §. *non relevante*.
(d) *Discept. eccles.* 41. *n.* 3. §. *in Hispania, in fine*.
(e) *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 8.
(f) *Discept. eccles.* 53. *n.* 39. *et* 40.
(g) Ap. Fargnam P. 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 17.

consanguineis factam a fundatore spuriorum consanguineo a fundatione facta ab extraneo : et in priori fundationis specie admittunt posse spurios succedere , non autem in posteriori , nisi aut ipse fundator esset spurius , aut primo loco vocaverit spurii filium .

Fortasse auctoritas Francisci Fargnae , et Rotae decisiones ab ipso relatae de ea successionis specie accipiendae , quae a doctoribus dicitur subsidiaria, nempe in defectum tam legitimorum, quam naturalium ; vel potius de spuriis in hodierna fori acceptione , quia a naturalibus non differunt , nisi juris civilis subtilitate , qua naturales filii dicuntur , si ex complexu carnali concubinatus qualitatem habente nascantur , ut supra dixi , quia *ista juris civilis distinctio inter naturales tantum , et spurios , ut priores in aliqua parte capaces , ac favorabiles reputet , posteriores vero secus , eosque habeat odibiles, ex jure canonico, et Conciliari novissimo potius correcta dicenda est , adeo ut res in oppositum se habeat , cum ille concubinatus in schemate, et figura matrimonii , quem lex civilis desiderat , vel praesupponit pro uno ex requisitis naturalium tantum, sit hodie per sacros canones , et per Concilium Tridentinum etiam in terris Imperii , et foro laicali damnabilis , et punibilis . Igitur magis odibiles censendi sunt isti filii ex concubina domi retenta in figura uxoris suscepti , quam illi , qui ex meretrice, vel aliis furtivis , et amorosis amplexibus suscepti sint* , ut animadvertit Cardinalis de Luca (*a*) , qui praeterea subjicit il-

(a) *De donat. disc.* 62. *n.* 10. *et* 11. *vers. quin imo.*

illam rigorosam probationem in successione fideicommissaria, ut ad mulierem, a qua filii nati sunt, nemo accessum habuerit tempore conceptionis praeter virum, a quo nati sunt, dictam juris civilis subtilitatem non respicere, sed certitudinem dumtaxat filiationis, *ne alias pater fraudem faceret vocatis ad fideicommissum ex persona propria, declarando in filium illum, qui proprie talis non sit*, ut inquit ipse: *ac etiam* (subjicit idem Cardinalis de Luca) *quia frequens praxis docet, quod inhonestae mulieres filios ex amasiorum amplexibus suscipientes, nobilibus, vel divitibus viris, qui cum eis conversationem habeant, praesertim vero senibus, suadere solent, quod sint eorum filii, ac propterea quandoque pro facti qualitate etiam in bonis propriis liberae dispositionis tractatus attendi non solent.*

Igitur *ubi haec probatio habeatur* (denique concludit) *eo modo, quo pro naturali incertitudine haberi potest, de aliis juris civilis requisitis non curatur.* Quod et alibi confirmat (*a*), dum loquens de cognatorum *indefinita*, ut ipse ait, successione cum naturalibus tradit eam obtinere *in naturalibus tantum, aut in spuriis simplicibus*, quos distinguit a procreatis ex coitu damnato; quoniam *isti neque jura cognationis habent* (ut subjicit). *Nam ex damnato, et secundum leges, ut loquuntur, punibili coitu nati omnis successionis sive paternae, sive maternae, tam ex testamento, quam ab intestato, penitus sunt incapaces; nec ullum vel cognationis jus cum patre, matreve, quod est extra controversiam, nec inter se ipsi,*

(a) *De success. disc.* 10. *n.* 12.

ipsi, aut cum aliis per patrem, matremve a latere conjunctis habent, ut animadvertit Vinnius in *comment. ad Institut. lib. 3. tit. 5. ad §. 4. pag. 612. n. 3.*. Ideo jure civili hujusmodi filiis neque alimenta debentur, ut patet ex *auth. ex complexu cod. de incest. nupt.*; licet aliter res se habeat de jure canonico in *cap. 1. de eo, qui duxit. in matrim.*, scilicet juris civilis *rigorem aequitas canonica mitigavit*, ut ait Perezius in *praelect. ad XII. Lib. Cod. lib. 6. tit. 55. n. 15.*. *Sane nec putarem* (inquit Vinnius *lib. 3. tit. 4. ad §. 3. n. 1. in fine pag. 608.*) *jus civile refragari, quominus Magistratus ex officio liberis hujusmodi alias fame perituris alimenta jubeat subministrari: nam et pater, licet incestuosus, et impius, alendus est, quia pater est.* Quam canonicam aequitatem et fori laici usus ubique recepit, ut testatur Cardinalis de Luca (*a*), tam quoad alimenta, quam quoad dotem, si filiae sint ex damnato etiam coitu procreatae, quae est *adeo extensa* (ut subjicit idem Cardinalis de Luca) *ut etiam clerici, aliaeque personae ecclesiasticae aliud non possidentes, nisi beneficia, et reditus bonorum ecclesiasticorum, adhuc de istis huic obligationi satisfacere teneantur.*

Ex eadem vero aequitate canonica et eos admitti ad juspatronatus reservatum consanguineis docet Lotterius (*b*) referens pro sua sententia Rotam Romanam *decis. 350. num. 2. et 6. P. 3. rec.*, et contrariam juris tum civilis, tum canonici sanctio-

---

(a) *De donat. disc. 62. n. 10. §. atque ita.*
(b) *De re benefic. lib. 2. qu. 11. n. 144. ad 147.*

ctionem inniti *super ratione incertitudinis sanguinis*, ut ipse ait, adeo ut si patrem demonstrare possint, ut verbis utar Modestini in *cit l.* 23. *ff. de statu homin.*, idest si probari possit filiatio, dicta juris contraria sanctio cesset. Sed quanti haec ratio valeat, ex supradictis satis superque patet. Itaque mihi arridet contraria sententia confirmata per eamdem Rotam in *Pampilonen. capellaniae* 6. *Novembris* 1617., et 16. *Februarii* 1618. *coram Pirovano*, quam refert ipse Lotterius (*a*), ut eadem juris regula, quae procedit in naturalibus, in descendentibus ex coitu damnato non obtineat, quia ita natus *semper reputatur persona odibilis*, *et consequenter nec comprehensa sub verbis naturalibus*, ut doctores loquuntur.

Ex damnato autem coitu nati non dicuntur filii procreati ex viro conjugato, et muliere soluta, ut supra dixi, et pluribus probat Socin. Sen. (*b*), et ita refert Marta (*c*) fuisse decisum per Rotam Romanam, nempe *quod non existentibus masculis legitimis*, *et naturalibus succederent filii spurii*, *et bastardi*, *quorum appellatione Rota conclusit retineri natos ex conjugato viro*, *et soluta foemina*, *quia licet spurii sint*, *tamen coitus non est punibilis*, ut subjicit idem Marta referens ejusdem decisionis rationem. Nota illa verba *non existentibus legitimis*, *et naturalibus*. Verum in successione jurispatronatus gentilitii in quo fuerint vocati consanguinei, aut illi de parentela, doctores adhuc citati, et quot-

quot

(a) *Loc. cit.*
(b) *Cons.* 148. *vol.* 1.
(c) *De success. P.* 1. *qu.* 16. *art.* 1. *n.* 30. *et* 31.

quot ego legi, indistincte loquuntur de legitimis, aut naturalibus tantum quoad jus activum. Quare aperte docet Praeposit. *in cap. per venerabilem, qui filii sint legitimi n.* 11. *in fin.*: *ubicumque sumus in tali materia, in qua attenditur potius jus sanguinis, vel naturae, vel verba significant jus scriptum, tunc in illa dispositione comprehenduntur bastardi ita, sicut legitimi*: nisi particulare statutum, vel consuetudo existeret, quae illegitimos excluderet, aut juspatronatus esset ex privilegio, aut fundator aliquam qualitatem in fundatione adjiceret illegitimitati contraria, aut aliter contra illegitimos suam mentem declaraverit (*a*).

Quoad jus vero passivum, ceteris paribus, legitimum illegitimo praeferri docent, et indubitatum est, ut inquit Gonzalez (*b*), qui in quaestione, quis praeferendus in institutione, *si, ceteris paribus, concurrat alius de familia, et genere testatoris, qui sit legitimus, ac filius patris legitimi*, respondet, *tunc illum* (nempe legitimum, et naturalem) *praeferendum fore indubitatum erit*. Ceteris, inquam, paribus: nam secus erit, si alter sit *in gradu remotiori*, alter *in proximiori*, ut inquit Pitonius (*c*): nisi consuetudo sit pro illegitimis, et naturalibus, prout est in Hispania, *juxta quam appellatione illorum de genere, et parentela veniunt promiscue tam spurii, quam legitimi*, ut refert idem Pitonius (*d*), quia

---

(a) Gratian. *discept.* 218. *n.* 11. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 9.
(b) *Ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *n.* 124. §. *nec non*.
(c) *Discept. eccles.* 7. *n.* 23. 24. *et* 25.
(d) *Loc. cit. n.* 26. *in fin. et* 27.

quia tunc *non debet considerari* (subjicit ipse) *aliqua praelatio inter legitimum , et illegitimum , cum affectio praesumatur eadem erga utrosque*. Sensum autem verborum ex communi loci usu, et consuetudine intelligendum esse docet Bartolus (*a*) . *Est enim advertendum*, (inquit idem Pitonius loquens de dicta consuetudine Hispaniae, et scribens pro quodam Thoma Garzia praesentato ad beneficium) *ipsum esse legitimum, et naturalem spurii, quo casu admitti debet ad beneficium , etiamsi verba fundationis sint civilia , et non naturalia , quando ex consuetudine totius Hispaniae constat illegitimos gaudere nobilitate parentum , et non minus ac legitimos venire appellatione eorum, qui sunt de genere et parentela*, allegans pro sua sententia plures doctores ; et ita docet quoque Lotterius (*b*) .

Seclusa dicta consuetudine , naturales admitti , si juspatronatus reservatum sit *illis de parentela*, absolute, et indistincte, post alios docet idem Pitonius (*c*) , quandoque etiam si familiae reservatum sit , quando ex circumstantiis patet fundatorem loquutum fuisse in sensu naturali , non in sensu civili , ut docent doctores (*d*) . *Concors proinde illorum sententia est* (inquit laudatus Pitonius (*e*)), *quod , concurrentibus circumstantiis denotantibus dictum verbum ad naturalem, non ad civilem intelligentiam redigendum esse, valeat illud quandoque*

(a) *In l. pronunciatio* 19. §. *familiae num.* 1. *vers. verum puto ff. de verb. significat.*
(b) *Loc. cit. n.* 140. *et seq.*
(c) *Discept. eccles.* 41. *n.* 3.
(d) Ap. Piton. *discept.* 53. *n.* 36.
(e) *Loc. cit.*

ſloque inflecti, ut naturalem etiam sanguinis conjunctionem significet.

In jurepatronatus autem gentilitio illis de sanguine per verba naturalia reservato legitimos, et naturales, aeque ac naturales tantum, aut legitimos, seu legitimatos, comprehendi pluries definivit Rota (*a*). Naturales, inquam, aeque ac spurios, in prima tamen acceptione Modestini in *dict. l.* 23. *ff. de stat. homin.*, nempe natos ex muliere, licet non concubina, non autem natos ex coitu damnato, succedere in hujusmodi juspatronatus gentilitium in subsidium, et in defectum gentis vocatae non diffiteor. Sicut jure novissimo Justiniani filius naturalis omnino a successione non repellitur, cum succedat in sextantem, seu in duas uncias dividendas inter ipsum, et matrem, si liberi legitimi non existant, cum existentibus legitimis et naturalibus sola alimenta petere possit, ut patet ex *novell.* 89. *cap.* 12. Existentibus vero legitimis, et naturalibus, naturales aeque, ac legitimos et naturales, succedere in juspatronatus licet reservatum consanguineis, mihi non persuadeo. Pace enim tantorum virorum, qui ita docent, mens fundatorum semper praesumenda est, et accipienda pro consanguineis legitimis, et naturalibus, praesertim in hoc Regno, ubi naturales sunt potius odiosi; nisi fundatio a matre procedat, cum mulier juspatronatus acquirere possit, si honestior sit, quidquid alii dicant, juxta communem, et *veriorem*, ut eam vocant doctores,

 sen-

(a) *Decis.* 867. *n.* 2., *et decis.* 262. *n.* 6. *P.* 8. *rec.*

sententiam (*a*); sicut posse acquirere feudum, seu posse ei feudum concedi docent pariter doctores (*b*). Quia filios naturales, idest ex concubina natos, aeque ac legitimos ad matris etiam illustris hereditatem admittit Justinianus *in l. penult. cod. ad S. C. Orfitian.*, et etiam spurios, nempe ex patre incerto natos, exceptis ex coitu damnato natis, si mater non sit illustris, et legitimos heredes non habeat: *cum in mulieribus ingenuis, et illustribus, quibus castitatis observatio praecipuum debitum est, nominari spurios satis injuriosum, satisque acerbum, et nostris temporibus indignum esse judicemus*, ut subjicit idem Justinianus. Vide Vinnium in *comment. in Instit. lib.* 3. *tit.* 4. *pag.* 608. *ad* §. 3. Rationem subjicit Heinecius in notis ad Vinnium *post dict.* §. 3., nempe quia *mater semper certa est, et in his Senatusconsultis personae naturaliter designantur*.

Hinc patet, quod, cum difficilior sit probatio filiationis quoad patrem, si ea probanda sit, ad praesumtiones, et conjecturas recurrendum est (*c*); sed diverso quidem modo. Aut enim probatio filiationis fit ad finem succedendi in defectum legitimorum et naturalium, seu ad excludendum extraneos, vel succedendi simul cum eis, et sufficiunt leviores probationes, praesertim in antiquis, puta si illegitimus probaverit se diu educationem, & alimenta recepisse, aut tanquam filium a fundatore, vel ejus consanguineis, et amicis tractatum fuis-

(a) Ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 4. *cas.* 12.
(b) Ap. Afflictum *in cap.* 1. *de invest.*
(c) Gonzalez *in cap. per tuas, de probat. tom.* 2. *pag.* 262. *n.* 8. *et seq.*

fuisse, aut ipsi fundatori litteras scripsisse uti filium, et cum expressione filiationis, ipsumque eas retinuisse, aut probaverit publicam vocem, et famam, et communem hominum opinionem, vel ejusdem cognominis, et insignium retentionem, aut sententias, et confessiones partis (*a*). Verum *jura omnia* (inquit Gonzalez (*b*)), *quae docent ex nominatione filiationem probari, intelligenda sunt concurrentibus simul aliis adminiculis juxta hunc textum, vel quod per nominationem constituatur quis in quasipossessione filiationis, ut onus probandi contrarium in adversarium transferatur*. Et idem quoque docet de aliis probationum speciebus supra relatis (*c*). Postquam autem parentes aliquem in filium agnoverunt, *non creditur illis contrarium postea asserentibus, etiam cum juramento*, ut ex utriusque juris interpretum sententia concludit Gonzalez (*d*): *cum nimis indignum sit juxta legitimas sanctiones, ut, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*, ut inquit Innocentius III. *in cap. per tuas, de probation.*: quod tamen Gonzalez (*e*) intelligit de assertione patris cum aliis adminiculis conjuncta.

Aut probatio filiationis fit ad finem excludendi a successione legitimos et naturales, et probatio debet esse concludens, et rigorosa, adeoque

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 27. *ad* 34. Gonzalez *loc. cit. n.* 10.

(b) *Loc. cit. n.* 12. *in fin.*

(c) *Loc. cit. n.* 11. *ad* 14.

(d) *Loc. cit. n.* 8.

(e) *Loc. cit. n.* 16. *in fine*.

que eam praesumtionibus, et conjecturis fieri non sufficit, puta per hujusmodi filiationis vocabula, nisi sint emissa in actis seriis, puta in legitimatione partus, aut in donatione, vel institutione facta per patrem cum expressione paternitatis. Ideo filiatio non probatur, nisi arcta ventris praegnantis custodia in loco, quo alii, quam praetensus pater, accessum habere nequiverint, simul probetur; secus enim, *nec patrem habere intelliguntur, cum et his pater incertus sit, unde solent spurii appellari*, ut verbis utar Justiniani *Instit. lib.* 1. *tit.* 10. *de nuptiis* §. 12., cum, si aliis quoque patuerit accessus, a quonam conceptus sit, cognosci minime possit (*a*).

Cum jura sanguinis immutabilia sint, ideo in juspatronatus sive gentilitium, sive familiare, quod jure sanguinis defertur, succedunt etiam regulares sive masculi, sive foeminae, ut antea dixi; praesentatio vero, aliaque patronatus jura ab iis exerceri nequeunt sine Superioris licentia, ut paupertatis votum servetur, quod emiserunt (*b*). Ad monasterium vero non transit, si sit gentilitium, aut familiare, seu agnatitium, sed utpote juri sanguinis adnexum, quod cum personis ipsorum regularium desinit, post eorum obitum extinguitur (*c*).

Denique animadvertendum est, quod, cum non raro

(a) Paris. *cons.* 29. *lib.* 2. *n.* 13. Fargna *loc. cit. cas.* 10. *n.* 25.

(b) Piton. *alleg.* 30. *n.* 28. *in fin.*, *et* 29.

(c) Vivian. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 64. Piton. *alleg.* 36. *n.* 28.

raro excitentur quaestiones in foro, super modo succedendi, praxis obtinet, ut modus succedendi juxta materiam feudalem fideicommissariam, aut emphyteuticam, utpote quae consonat cum materia jurispatronatus, dirigatur.

CAPUT XVIII.

De jurepatronatus familiari, seu agnatitio.

JUspatronatus dicitur familiare, seu agnatitium, vel gentilitium rigorosum, ut illud appellant doctores, si familiae, seu agnationi reservatum sit, cum tunc non omnes de sanguine complectatur, sed eos dumtaxat, qui habent cognomen domus, et familiae (*a*), puta si fuerit vocata *domus*, *familia*, *casata* (*b*). Et licet verbum *familia* jure novo Justiniani in *l. penult. cod. de verb. signif.* complectatur cognatos aeque ac agnatos, apud nos vero, seu in Italia ex usu communi loquendi complectitur solos agnatos, seu per masculos descendentes quoad juspatronatus activum, in quo obtinet ratio conservationis agnationis, non secus ac in fideicommisso, aut feudo, cum institutum sit ad conservandum decorem, et quamdam honorificentiam in familiis (*c*). Itaque quoad successionem in juspatronatus, et fideicommissum potius obti-

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 30.
(b) Piton. *alleg.* 37. *n.* 10. Card. de Luca *de jurep. disc.* 77. *n.* 8.
(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 25. *n.* 3.

obtinet jus vetus Digestorum, quam jus novum Codicis, aut novissimum Novellarum. Vocabulum autem *domus* aut fuit directum *domui*, idest juspatronatus fuit reservatum *domui*; et juspatronatus est familiare, seu agnatitium: aut directum fuit *venientibus ex domo*, puta si dixerit fundator, *a quelli che direttamente verranno di casa mia*, aut *a quelli della casa, e ceppo ec.*, expresso etiam cognomine, aut *a' consanguinei del ceppo, casata, o cognome*; et juspatronatus non dicitur familiare. Ita distinguunt doctores (*a*); quia *illa expressio cognominis proprii stat demonstrative ad denotandam scaturiginem, ex qua vocati provenire debeant; et sic non excludit descendentes ex foeminis, qui derivative, seu habito respectu ad originem, dicuntur esse de cippo*, ut inquit Pitonius (*b*). Praesertim si, cum fundator vocaverit illos de domo sua, vocavit masculos, et foeminas cum solo jure praelationis inter ipsos, cum tunc videatur vocasse descendentes tam ex masculis, quam ex foeminis cum solo *ordine praelationis* inter ipsos, ut tradit Cardinalis de Luca (*c*).

Pro illis autem de domo posse intelligi solos cognatos subjicit idem Cardinalis de Luca (*d*). Ubi vero fundator dixerit se reservare juspatronatus *a quelli di casa ec.* expresso cognomine, dicta verba solam agnationem complecti non dubito, et consultus semper dixi; cum in isto casu idem sonare mihi

(a) Ap. Card. de Luca *de jurep. disc.* 77. *n.* 7. *et* 8. Piton. *alleg.* 75. *n.* 3. 4. *et* 5.

(b) *Loc. cit.*

(c) *Loc. cit. n.* 7.

(d) *Loc. cit. n.* 8.

mihi videatur verbum *di casa*, quam *di casata*. Nam si fundator complecti voluisset etiam descendentes per foeminas, seu denotare scaturiginem, ut verbis utar laudati Pitonii, dixisset *della casa*.

Dixi verbum *familia* ex consuetudine Italiae complecti agnationem in jurepatronatus activo. Nam in jurepatronatus passivo, cujus natura est indifferens ad providendum generatim clericos de sanguine, ut pragmatici loquuntur, verbum *familia*, nisi aliam circumstantiam adjunctam habeat, ex qua pateat mens fundatoris pro agnatione, quandoque complectitur etiam cognatos, seu per foeminas descendentes, et appositum censetur *demonstrative* tantum, ut supra dixi (*a*); eo vel maxime, si fundator contemplaverit in jurepatronatus passivo clericos de familia extranea, cum tunc cessare videatur ratio affectionis erga familiam, seu agnationem propriam (*b*).

Illud vero notandum in omnibus actis tam inter vivos, quam ultimae voluntatis, sensum verborum non esse dividendum, sed desumendum esse ex toto contextu dispositionis, ut clare pateat mens, seu voluntas fundatoris (*c*). Idem enim juspatronatus reservatum illis de familia, domo, cippo, vel trunco, in altero casu potest esse familiare, seu agnatitium, et in altero gentilitium (*d*). Ideo passim monent docto-

 res

(a) Piton. *alleg.* 80. *n.* 16. §. *neque enim*.
(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 25. *n.* 8.
(c) Piton. *alleg.* 100. *n.* 529.
(d) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 31.

res (*a*), ut cortici verborum non sit insistendum, sed voluntati fundatoris ex toto dispositionis contextu eruendae.

Familia autem vel dicitur contemplata *in genere*, vel dicitur contemplata *in specie*, ut distinguunt doctores. In genere dicitur vocata, si juspatronatus reservatum fuerit familiae contentivae, seu universo coetui per modum unius corporis, et collegii: dicitur vocata in specie, si fuerit reservatum familiae in specie, seu in particulari (*b*). Reservatum familiae in genere, seu contentivae competit in capita omnibus de familia ad instar collegii, adeo ut habens pluralitatem, seu majorem partem vocum, dicatur habere integram vocem (*c*). Neque transire potest ad extraneos, nisi in ultimo de familia superstite (*d*), quia vocatio familiae in genere non admittit divisionem, sed datur jus accrescendi, seu non decrescendi, quod impedit, ut juspatronatus in aliquo ramo sit hereditarium, in altero gentilitium, prout infra dicam de jurepatronatus lineali. Hinc deficiente uno ramo, jus consolidatur in altero (*e*).

Re-

(a) Ap. Mantic. *de tacit. lib.* 2. *tit.* 7. *n.* 1. Card. de Luca *de feud. disc.* 44. *n.* 16. *et* 17.

(b) Paris. *cons.* 51. *n.* 10. *tom.* 2. . Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 11. *n.* 8.

(c) Vivian. *de jurep. part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 28., Card. de Luca *de jurep. disc.* 54. *n.* 5. *et* 6. . Fargna *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 3. *n.* 46.

(d) Piton. *alleg.* 76. *n.* 21.

(e) Piton. *alleg.* 76. *n.* 21.

Reservatum verò familiae in specie, puta si fuerit reservatum a fundatore pro familia sua, vel eis de sua familia, aut sua linea, vel descendentibus a sua linea, complectitur familiam effectivam, seu directam; non contentivam, seu transversalem, ut eam doctores appellant (*a*). *Reservato jurepatronatus* (inquit Fargna (*b*)) *a fundatore pro descendentibus a sua linea, nomine lineae intelligi debet linea directa, non inflexa, seu transversalis juxta Bald. cons. 171. num. 3. . . . . , et ut quis habere possit juspatronatus, non sufficit quod sit de eodem cognomine, seu familia fundatoris. Sicuti si fuisset reservatum juspatronatus passivum a fundatore pro illis de ejus familia, et disposuisset, ut isti praesentarentur ad beneficium; juspatronatus passivum diceretur restrictum, et coarctatum ad familiam effectivam, adeo ut illi de hac familia praesentari, et praeferri deberent a patrono ad exclusionem eorum de familia contentiva, ut decisum fuit a Sacra Rota in Tridentina Capellaniae 5. Aprilis 1715. §. facile, et §. vel saltem, coram R. P. D. Cerro inferius impressa.* Praesertim si verbo *linea* addatur dictio *sua*, aut *loro*, si plures sint fundatores, idest si fundator dixerit *della linea sua*, aut *della linea loro*, sub qua dictione sine dubio linea effectiva tantum comprehenditur (*c*). Illa autem dictio *sua*, si

---

(a) Ap. Paris. *cons.* 51. *num.* 5. *lib.* 2.. Surd. *cons.* 247. *n.* 12. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 11. *num.* 2. *et* 3.

(b) *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 11. *n.* 2.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 11. *n.* 13.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 24. *n.* 2.

si fundator reservaverit juspatronatus pro familia sua, etiam in dubio intelligitur de familia ipsius fundatoris. Itaque si testator in testamento relinquat juspatronatus uxori, et post mortem uxoris ejus heredibus, et successoribus, illam dictionem *ejus* referri ad successores ipsius testatoris docent non pauci doctores; eo vel maxime si instituisset heredem solam familiam effectivam, quia cum familia effectiva fuerit praedilecta in hereditate, praedilecta quoque praesumitur in jurepatronatus (*a*).

In juspatronatus familiare, seu agnatitium semper succedunt masculi, exclusis foeminis: succedunt vero foeminae in defectum masculorum, seu foeminae de eadem familia, quia etiam foeminae de eadem familia dicuntur agnatae, licet sint finis agnationis, quibus deinde succedunt heredes etiam extranei, juxta consilium 81. Ancharani supra relatum in *cap. praeced.*, non secus ac succedunt in juspatronatus gentilitium, ita ut juspatronatus ex familiari, seu agnatitio fiat hereditarium, prout late dixi in eodem *cap. praecedenti*.

CA-

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 11. *n.* 3.

CAPUT XIX.

De jurepatronatus mixto ex gentilitio, aut familiari, seu agnatitio simul, et hereditario.

JUspatronatus dicitur mixtum, si reſervatum ſit a fundatore agnatis, aut cognatis, et ſucceſſoribus ſive ſuis, ſive alienis cum qualitate hereditaria (*a*). Itaque ſi reſervatum fuerit *heredibus, et propinquioribus*, aut *heredibus, et ſucceſſoribus*, aut *heredibus; et deſcendentibus*, mixtum dicitur a doctoribus (*b*), aut *deſcendentibus, et ſucceſſoribus*, aut *ſibi; ſuisque liberis, et heredibus*, aut *poſteris et ſucceſſoribus*, aut *heredibus, et deſcendentibus ex ſuis heredibus* (*c*). Quod ita in jure obtinet, ut, ſi fundatio ſit ambigua, et dubiae ſint conjecturae, num juspatronatus ſit gentilitium, aut hereditarium, mixtum cenſeatur, ut definivit Rota (*d*), quia *tunc pro facti qualitate fieri debet locus conciliationi, ſtatuendo tertiam partem de utraque participantem, ſeu jus-*

(a) Piton. *alleg.* 10. *n.* 17., *et alleg.* 69. *n.* 10.

(b) Ap. Paris. *cons* 48 *lib.* 4.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 24. *n.* 6.. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 7. *n.* 1., *et cas.* 8. *n.* 5.

(c) Card de Luca *de jurep. disc.* 24. *n.* 6.. Piton. *disceft. eccles.* 4. *n.* 15. §. *non primum*. Fargna *loc. cit. cas.* 18. *n.* 1.

(d) *Coram Celso decis.* 106. *n.* 11.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 69. *n.* 15. §. *quando vero*. Piton. *diſcept. eccles.* 53. *n.* 16.

juspatronatus mixtum, ut inquit Cardinalis de Luca (*a*). Utrum mixtum sit juspatronatus, si reservatum sit *heredibus et successoribus alicujus, ex amore et affectione erga ejus domum, et familiam*, quaestio est inter doctores, quam vide apud Fargnam *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 18. *n.* 3.; et apud Rotam, ubi fuit disputata, in *Romana Capellaniae* 3. *Junii* 1711. *coram Ansaldo* impressam apud eumdem Fargnam post dictum casum 18.

Ejus natura a gentilitii, aut familiaris, seu agnatitii jurispatronatus natura non differt, nisi quoad successionem, quae fit in stirpes, prout in jurepatronatus hereditario, non in capita, prout in gentilitio, aut familiari (*b*). Nam quoad qualitatem hereditariam, ea *actu*, prout in jurepatronatus hereditario, non requiritur, sed sufficit, ut *habitu* existat, seu *in potentia*, ut distinguunt doctores, cum juspatronatus mixtum deferatur jure sanguinis, non jure hereditario, *cum simplici potentialitate*, seu *denominatione qualitatis hereditariae*, ut pragmatici loquuntur (*c*): scilicet ut, qui succedere vult in juspatronatus mixtum, potuerit ab intestato succedere antecessoribus patronis, saltem primo acquirenti, vel ultimo morienti, si isti alios non instituissent heredes, utque per se non steterit hereditatem adire, si quovis modo sibi deferretur.

Li-

(a) *De jurep. disc.* 60. *n.* 15.
(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 61. *n.* 10.. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 18. *n.* 15.
(c) Ap. Piton. *alleg.* 100. *n.* 272., *et discept. eccles.* 4. *n.* 2. 4. *et* 11. Card. de Luca *de jurep. disc.* 30. *n.* 4.

Licet enim quoad feuda mixta in Regno Neapolitano recepta sit opinio, ut necessaria sit qualitas hereditaria etiam ultimi morientis, ita ut successor illa recipere debeat ab ultimo successore gravata in pretio usque ad integrum feudorum valorem, ut testatur Cardinalis de Luca (*a*), et post alios feudistas Regens de Marinis (*b*) contra contrariam, et in Rota, et Curia Romana receptam opinionem, quae in aliis Regnis servatur, et quam ipse Cardinalis de Luca *veriorem* appellat (*c*): *attamen* (inquit ipse Card. de Luca (*d*)) *quidquid teneant, et servent Regnicolae in feudis Siciliae citra Pharum . . . . , in puncto juris magis communis est opinio in Rota, et Curia recepta, ut in his specialibus terminis jurispatronatus mixti utraque qualitas requiratur, spectata persona primi acquirentis, secus autem ultimi morientis;* nisi successores sint *immediate descendentes*, uti sunt filii, quia filii nequeunt esse heredes in potentia primi acquirentis, nisi sint heredes ultimi morientis, seu patris, per quem *mediate* fiunt heredes primi (*e*).

Hinc filius, si hereditatem repudiaverit, non potest succedere in juspatronatus mixtum. Namque, qui paternam hereditatem repudiavit, etiam pri-

---

(a) *De feudis disc.* 9. *n.* 6., *et disc.* 12. *n.* 4.

(b) *Resol. jur. tom.* 2. *cap.* 139. *n.* 40., *et cap.* 218. *n.* 10. *in fine*.

(c) *De feud. disc.* 9. *n.* 6. *et disc.* 12. *n.* 4.

(d) *De jurep. disc.* 30. *n.* 4. §. *attamen*.

(e) Piton. *discept. eccles.* 4. *n.* 5. 10. *et* 16. §. *probatur*. Fargna *loc. cit. cas.* 18. *n.* 13.

primi acquirentis hereditatem repudiasse censetur. Et in eo consistit discrimen inter descendentes, et collaterales : nam collaterales repudiantes hereditatem ultimi morientis non censentur repudiasse hereditatem primi acquirentis; ideo, ut excludantur, utriusque hereditatem repudiare eos oportet (*a*). Sufficit igitur collateralibus, ut habitu sint heredes primi acquirentis, et sanguine proximiores ultimo morienti. Dixi si hereditatem repudiaverit : nam extra casum repudiationis hereditatis semper succedit in juspatronatus, etiamsi non fuerit institutus heres a patre, aut institutus in legitima tantum (*b*), cum sufficiat eum esse heredem in potentia, ut antea animadverti, quia defertur jure sanguinis. Itaque errat Fargna (*c*) docens requiri qualitatem hereditariam universalem, cum institutus in re certa sit potius legatarius : haec namque regula valet in jurepatronatus hereditario, quod defertur jure dumtaxat hereditario, non in jurepatronatus mixto, quod defertur jure sanguinis (*d*).

Igitur cum deferatur jure sanguinis, non jure hereditatis, si juspatronatus sit mixtum ex qualitate gentilitia, et hereditaria, non autem agnatitia, in qua masculi semper succedunt exclusis foeminis, possunt simul cum masculis succedere etiam foe-

---

(a) Piton. *discept.* 4. *n.* 3. 7. *et* 9. Surd. *cons.* 63. *n.* 25.

(b) Piton. *discept. eccles.* 4. *n.* 8., *alleg* 69. *n.* 23. *et seq.*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 30. *n.* 4. *in fin.*

(c) *Loc. cit. cas.* 18. *n.* 12.

(d) Piton. *alleg.* 69. *n.* 23.

foeminae; non obstante peculiari statuto excludente foeminas a successione, prout in Regno adest constitutio *In aliquibus*, quae a successione hereditaria excludit foeminas per existentiam masculorum, ut definivisse Rotam ipso scribente refert Pitonius (*a*), quia filia in juspatronatus mixtum succedit uti filia, non uti heres. Sicut ex investiturae diversitate, aut varia regionum consuetudine dari possunt feuda mixta *ratione modi succedendi tantum*, in quibus masculi solum succedunt; et feuda mixta *ratione modi succedendi, et personarum*, in quibus foeminae quoque simul cum masculis succedunt, ut recte animadvertit, et distinguit Struvius (*b*), et inter recentiores feudistas Joannes Baptista Ferrarius in Regia Camera Rationum summarum Fisci Patronus, et in regia studiorum Universitate in Cathedra feudorum antecessor meritissimus in suo docto tractatu de feudis (*c*). Hac tamen de re vide dissidentes inter se doctorum opiniones apud eumdem Pitonium *discept. eccles.* 4. *n.* 12. *ad* 16.

Ex quo pariter manat consequentia, ut juspatronatus non possit ad heredes extraneos transire, nisi extincta tota familia, aut descendentia, prout de jurepatronatus familiari, et gentilitio dixi in *cap. praecedent.*, modo non sit lineale, quod potest in altera esse gentilitium, vel familiare, in altera fieri hereditarium, ut dicam infra in *cap. sequent.*. Hinc si juspatronatus non sit divisum per li-

(a) *Discept. eccles.* 4. *n.* 16.
(b) *Cap.* 4. *de feudo heredit. etc.*, *aphor.* 13.
(c) *P.* 2. *tit.* 1. *cap.* 17. *pag.* 165. *n.* 2.

lineas, sed familia fuerit vocata in genere juxta modum, quem supra dixi in *cap. praeced.*, datur in jurepatronatus mixto jus accrescendi, prout supra in eodem *cap. praeced.* dixi de jurepatronatus familiari (*a*).

Verumtamen quae dixi de jurepatronatus mixto, seu de verbis, quae mixtam jurispatronatus naturam innuunt, intelliguntur cum limitatione, nisi conjecturae, aut observantia aliud suadeant; puta si nomine heredum et successorum fundator intellexerit heredes sanguinis tantum, quia tunc juspatronatus non dicitur mixtum, sed gentilitium, aut familiare, seu agnatitium secundum diversam gentilitii, aut familiaris jurispatronatus qualitatem, juxta receptam doctorum sententiam (*b*), adeo ut qualitas hereditaria *demonstrative* tantum stare videatur, ut tradunt doctores (*c*). Non enim cortici verborum (optime ad rem animadvertit Cardinalis de Luca (*d*)), et sensui litterali grammaticorum potius, quam juristarum instituto insistendum est; neque theoriae generales considerandae sunt *in abstracto*, praesertim in materia fideicommissaria, cum qua fraternizat juspatronatus, ut verbis utar ejusdem Cardinalis de Luca, sed ponderandae juxta diversorum casuum circumstantias, ex quibus dignosci valeat voluntas fundatoris.

CA-

(a) Piton. *alleg.* 76. *n.* 21.

(b) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 18. *n.* 2.

(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 60. *n.* 14. Piton. *alleg.* 100. *num.* 605. Fargna *P.* 2. *can.* 26. *cas.* 2. *num.* 48.

(d) *De jurep. disc.* 6. *n.* 6. *vers. super hoc.*

CAPUT XX.

De jurepatronatus lineali.

Juspatronatus sive gentilitium, sive familiare, seu agnatitium, sive mixtum, dicitur lineale, si sit divisum per lineas; puta si lineae vocatae sint *discretive*, non *collective*, juxta distinctionem a doctoribus adhibitam, adeo ut tot distincti, et separati patronatus instituti censeantur, quot sunt personae vocatae, et unusquisque ex vocatis constituat suam lineam omnino distinctam ab aliis, neque jus accrescendi, seu non decrescendi in eo obtineat, sed in altera linea, existente adhuc gente, vel familia vocata, sit gentilitium, aut familiare, in altera, in qua gens, aut familia fuerit extincta, fiat hereditarium, ut receptum est in foro pro theoria indubitata, Sacrae Rotae decisionibus confirmata (*a*). Hinc praelatio masculorum in lineis discretive vocatis etiam discretive intelligitur in qualibet linea, neque transit de altera linea ad alteram, sed in defectum masculorum succedunt foeminae, exclusis masculis alterius lineae (*b*).

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 35. *n.* 10. *et disc.* 60. *n.* 29. . Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 17. *n.* 2. *et* 3.. Piton. *alleg.* 76. *n.* 13. *ad* 23.

(b) Peregrin. *de fideicom. artic.* 27. *n.* 13. *et seq.* . Fargna *loc. cit. cas.* 13. *num.* 3. *et* 4. . Piton. *discept.* 26. *n.* 3.

Sic sane obtinet de jure feudali, ut conceſso feudo duobus fratribus adjecta conditione, ut foeminae non succederent existentibus masculis, si alter eorum obierit relicta filia, superstite altero, ejus portio non ad fratrem, sed ad filiam transeat, ut antea animadverti: et explorati juris est in servitutibus realibus, cum divisio linearum jus accrescendi impediat. Idem est in legatis, in quibus jus accrescendi obtinere, si legatarii re, vel verbis conjuncti sint, non autem si conjuncti non sint, respondit Ulpianus in *l.* 3. §. 1. *ff. quib. mod. usuſfr. vel usus amittitur*. Quod locum habet, etiamsi fuerint vocati masculi cum reciproca substitutione inter ipsos, *si sine filiis deceſserint*, saltem juxta receptam in foro sententiam, quam testatur Joseph de Rosa (*a*), et Capycius Latro (*b*) contra Peregrinum (*c*), et Fusarium (*d*). Nam si alter eorum obierit superstite nepte, haec in fideicommissum, vel juspatronatus succedit, et praefertur patruo in voce masculi defuncti ex recepto *Cons.* 22. Ananiae, qui docet praelationem masculorum non obtinere, si in eorum descendentibus non fuerit repetita.

Dicitur lineale juspatronatus, si ab initio in fundatione fuerit pluribus reservatum, adeo ut etiam in dubio competens pluribus competere censeatur iis distributive uti singulis, non ut corpori universali, et jure collegii, ut pluribus probat Pi-

(a) *Consult.* 69. *n.* 66.
(b) *Decis.* 127. *lib.* 2.
(c) *De fideicom. artic.* 25. *n.* 56.
(d) *De substit. qu.* 402. *n.* 23.

Pitonius (*a*). Pluribus autem dicitur reservatum, si fuerit reservatum aliquibus personis de familia nominatim expressis, puta A. B. C.: quilibet namque eorum constituit suam lineam peculiarem, et vocem habet distinctam, et separatam; adeo ut praesentatio fiat collegiative, et in capita inter descendentes cujuslibet lineae ad constituendam illam vocem, quae ad ipsam spectat, in stirpes vero inter lineas vocatas (*b*), et pluralitas vocum non ex personis praesentantibus, sed ex lineis concludatur, et tot sint voces, quot sunt lineae, sive major, sive minor sit numerus patronorum praesentantium cujuslibet lineae comparative ad alteram. Nam major numerus personarum in altera linea non habet majorem vocem, quam minor personarum numerus in altera, ubi minor est numerus patronorum, sed tanta est vox majoris numeri patronorum in altera linea, quanta vox minoris numeri patronorum in altera.

Cujus quidem majoris, vel minoris numeri personarum ratio habetur tantum in qualibet linea ad suffocandam vocem minorem minoris numeri patronorum, prout de jurepatronatus hereditario dixi (*c*), cum quo juspatronatus lineale quamdam analogiam habet: quia, sicut in jurepatronatus hereditario, ubi

(a) *Alleg*. 75. *n*.80.. Card. de Luca *de jurep. disc*. 61. *n*. 26.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc*. 33. *n*. 2., *disc*. 54. *n*. 6., *disc*. 61. *n*. 13.. Fargna *P*. 2. *can*. 1. *et* 2. *cas*. 5. *n*. 21.

(c) Card. de Luca *de jurep. disc*. 54. *n*. 6.. Fargna *P*. 1. *can*. 5. *cas*. 7. *n*. 21.

ubi successio fit in stirpes, pater excludit filium, ita in jurepatronatus lineali, ubi successio fit ordine fideicommissario, si lineae sunt discretive vocatae, proximior excludit remotiorem, cum hodie receptum sit, ut in jurepatronatus lineali successio fiat ordine fideicommissario, et gradatim juspatronatus deferatur in proximiores exclusis remotioribus, modo contraria lex fundatoris, aut observantia non obstet (*a*). *Ratio differentiae inter utrumque casum etc. est evidens* (inquit Pitonius (*b*)), *quia nimirum opinio illa, quod praesentent patres cum filiisfamilias per concursum simultaneum, procedit in jurepatronatus familiari, ea ratione, quia, cum illud relictum fuerit omnibus de familia, dicitur relictum per collectivam plurium personarum, non autem graduum, et sic per speciem universitatis, seu collegii, admisso simultaneo concursu proximiorum, et remotiorum: quae collectiva plurium personarum, non autem graduum, intervenire dicitur per illa verba-agnati, cognati, agnatio, cognatio, et familia . . . . . Diversum est in jurepatronatus lineali quod non reservatur per collectivam plurium dumtaxat personarum, sed per collectivam plurium personarum, et graduum, nempe per illa verba-liberi, descendentes, linea, progenies, et generatio*. Reservato igitur jurepatronatus sive uni, sive pluribus lineis, successio fit semper gradatim, et ordine fideicommissario juxta *veriorem*, ut ipse ait (*c*), sententiam.

Re-

(a) Piton. *alleg.* 10. *n.* 10.
(b) *Loc. cit. n.* 10.
(c) *Loc. cit. n.* 9.

Refert vero Cardinalis de Luca (*a*), quod circa modum succedendi in juspatronatus sive gentilitium, sive familiare *Rota variasse videtur*, ideoque deferendum esse docet observantiae (*b*), a qua non esse recedendum dixit Rota in *Pisana jurispatronatus* 26. *Junii* 1709. loquens de observantia praesentandi gradatim juxta ordinem successionis fideicommissariae apud Pitonium (*c*). Loquitur tamen Cardinalis de Luca de *unicitate lineae*, ut ipse ait (*d*), nulla facta mentione de pluribus lineis discretive vocatis. Verum si valere debet opinio, ut successio fiat juxta numerum personarum sine gradus distinctione, quae *cessante observantia tenenda videtur*, ut ipse subjicit (*e*): nullum discrimen video inter unum, et alterum juspatronatus. Reservato namque jurepatronatus sive uni, sive pluribus lineis discretive vocatis, quaelibet linea constituit suam vocem distinctam, ita ut tot diversa censeantur jurapatronatus, quot sunt lineae vocatae, ut supra dixi. Super hujusmodi succedendi modo vide varias doctorum opiniones, et pugnantes inter se Rotae decisiones apud Cardinalem de Luca *de jurepatronatus*, *disc.* 61. *n.* 9. Verumtamen ex supra notatis probabilius mihi videtur successionem gradatim fieri debere, et ordine fideicommissario.

(a) *De jurep. disc.* 33. *n.* 8.
(b) *Loc. cit. n.* 10.
(c) *Post alleg.* 10. *n.* 29. *in fine*, *et* 30.
(d) *Loc. cit. disc.* 33. *n.* 4. *in fin. et* 5.
(e) *Loc. cit. disc.* 33. *n.* 10.

CAPUT XXI.

De jurepatronatus primogenitali, seu constituto ad formam primogeniturae, vel majoratus.

POtest juspatronatus a fundatore reservari primogenito, *quasi subsidio generis, et memoriae nominis*, ut inquit de Roye (*a*); adeo ut deferatur iisdem pene legibus, et regulis, quae traduntur in materia feudali, et fideicommissaria. Cum non raro audiantur in foro ecclesiastico quaestiones super hujusmodi specie jurispatronatus constituti ad formam primogeniturae, et majoratus, ideo pro mei instituti ratione de dicta jurispatronatus specie pauca degustare non pigeat. Pro cujus tamen intelligentia duplex praemittenda distinctio, puta inter juspatronatus primogenitale, aut *primogeniale*, ut doctores loquuntur, vigore statuti, aut consuetudinis, ac juspatronatus primogenitale facti, seu saltuarium, et irregulare, quod defertur ratione solius aetatis, et primogenitale juris, seu regulare, quod defertur pro ratione lineae, seu aetatis in eadem linea, seu inter primogenituram *naturalem*, et primogenituram *civilem*.

Defertur jure statuti, aut consuetudinis juspatronatus primogenitale, si statutum, aut consuetudo existat, ut hereditas ad primogenitum defera-

---

(a) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap. 9. §. ſicut ve-*
ra fundationis leges.

ratur, quia tunc etiam juspatronatus hereditati adnexum ad primogenitum transit, ut patet ex *cap. ex litteris*, et *cap. cum saeculum*, *de jurepatronatus*: et etiam non adnexum hereditati, puta gentilitium, aut familiare (*a*), defertur jure fundationis, si in limine fundationis fuerit reservatum a fundatore pro filiis primogenitis (*b*).

Dicitur primogenitale facti, idest saltuarium, et irregulare, seu primogenitura naturalis, quando in collectiva, ut pragmatici loquuntur, personarum familiae, seu descendentiae, habetur ratio solius aetatis; puta si juspatronatus fuerit reservatum pro primogenito familiae. Etenim in dubio verba, quae accipi possunt in sensu naturali, et civili, semper in naturali accipi debent (*c*); vel pro majore natu familiae, quia intelligitur de constituto in majore aetate, seu de patruo, excluso filio fratris primogeniti defuncti (*d*), qui habet pro se praesumtionem majoris affectionis fundatoris, uti sibi gradu proximior, ut inquit Marcellus in *l. Publius* §. 1. *ff. de condition.*, *et demonstrat.*. Reservatum igitur primogenito familiae juspatronatus praesumitur reservatum toti familiae, seu toti collectivae personarum familiae, ut pragmati-

---

(a) Tiraquell. *de jur. primogenit. qu.* 36. *et* 38. Vivian. *P.* 1. *de jurep. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 56. *et seq.*

(b) Lambertin. *de jurep. lib.* 1. *part.* 2. *qu.* 2. *art.* 10. *n.* 10.

(c) Alexand. *cons.* 4. *lib.* 4. *n.* 3.. Mans. *consult.* 95. *n.* 2.

(d) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 1. *n.* 12., *et* 13.. Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *n.* 2.

corum verbis utar, ad instar capituli, aut collegii. Itaque transeundo de altera linea ad alteram ejusdem familiae ille succedit, qui praerogativam habet majoris aetatis (*a*).

Dicitur quoque primogenitale facti, seu primogenitura naturalis, si reservatum fuerit seniori familiae (*b*), ubi non de successione bonorum agitur, sed de juribus honorificis tantum (*c*), nisi ex fundatione constet, quod fundator ista verba *primogeniturae*, et *majoratus* pro synonymis habuerit, quia tunc vocatio natu majoris intelligitur de majore natu in linea primogeniti (*d*): *licet anceps sit quaestio inter doctores, an, ubi dispositio fit ad beneficium majoris natu, puta quia ad fideicommissum, vel majoratum vocatur major natu, tunc restringatur praerogativa aetatis ad solam lineam primogeniti, et maxime si in eam intravit successio, ita ut filius primogeniti, licet aetate minor, excludat patruum, licet majorem, maxime quando primogenitus ipsius pater successit; an vero patruus aetate major, licet alterius lineae nepotem excludat*, ut ait Joseph de Rosa (e). At si addita sit dictio *semper*, puta si testator dixerit, ut *major natu semper succedat*, tunc quidem, *nulla habita ratione lineae primogeniti, patruus aetate major neptem ex primogenito excludet*, ut docet idem de Rosa

---

(a) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 5. *n.* 9. Fargna *loc. cit. cas.* 12. *n.* 4. *et* 5.

(b) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 5. *n.* 4.

(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 20. *n.* 10.

(d) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 2. *n.* 3.

(e) *Consultat. jur.* 69. *n.* 30.

sa (*a*); quod nescio quo fundamento doceat: nam illa dictio *semper* intelligi potest de majore natu in eadem linea. Dicitur quoque primogenitale facti, seu primogenitura naturalis, si juspatronatus reservatum fuerit pluribus senioribus, seu majoribus natu familiae (*b*).

Dicitur primogenitale juris, seu primogenitura civilis, si fuerit considerata linea, seu aetas in eadem linea; puta si fuerit reservatum absolute, et simpliciter primogenito, nempe si fundator dixerit: *voglio che il juspatronato spetti al primogenito maschio*: aut si dixerit: *voglio che il juspatronato vada da primogenito in primogenito* (*c*): aut si dixerit, ut succedere debeat major natu primi filii, ejusque lineae, et descendentiae de majore in majorem natu, eaque extincta, major natu secundi filii, ejusque lineae, et descendentiae pariter de majore in majorem natu; major namque natu inter plures ejusdem gradus, puta frater inter fratres, idem est, ac primogenitus (*d*).

Extincta linea primogeniti, succedit proximior gradu alterius lineae, et inter plures ejusdem gradus, si sint diversi sexus, succedit masculus, exclusa foemina: cum vero ejusdem sexus sint, succedit natu major, nempe aetas vincit omnes, ut doctores distinguunt in fideicommisso lineali

(a) *Loc. cit. n.* 81.
(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 21. *n.* 8.
(c) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *n.* 20.
(d) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *num.* 16. *et* 21.

li (*a*). Cum, denique filia ultimi de linea, in quam juspatronatus lineale ingressum fuit, virum duxerit licet remotiorem familiae fundatoris effectivae, filios ejus masculos praeferri masculis licet proximioribus alterius lineae, utpote duas habentes qualitates, alteram scilicet agnationis, alteram sexus, in fideicommisso agnatitio masculino familiae Sanseverinorum decrevit Rex Alphonsus, prout refert Regens de Ponte (*b*), et Regens de Marinis (*c*).

In ista igitur specie primogeniturae succedit primogenitus juris, cum nihil juri, et successioni in majoratibus, et primogenituris tam consonum sit, quam ut linea vincat gradum, aetatem, et sexum (*d*). Cumque in qualibet primogenitura quatuor sint consideranda, nempe linea, gradus, sexus, et aetas: qui habet praerogativam lineae primogenitalis, sive filius, sive nepos, sive alius descendens, semper praefertur patruo, et cuicumque alii transversali alterius lineae, nulla habita ratione gradus, nisi in eadem linea; sexus, nisi in eodem gradu; aetatis, nisi in eodem sexu (*e*). Neque transit ad lineam secundogeniti, vel tertiogeniti, nisi evacuata, ut loquuntur doctores, tota linea primogeniali, in qua radicatum juspatronatus semper defertur de pri-

(a) Joseph de Rosa *consult.* 69. *n.* 2.. Rovit. *lib.* 1. *cons.* 15. *n.* 7.

(b) *Cons.* 154. *n.* 40. *vol.* 2.

(c) *Lib.* 1. *resolut. cap.* 131.

(d) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 15. *n.* 4., *disc.* 16. *n.* 5.

(e) Fusarius *de substitut. qu.* 387. *n.* 55.

primogenito in primogenitum usque ad lineae totalem extinctionem (*a*); *cum receptissima, et hodie absoluta sit regula, ut bona unam lineam ingressa ab ea non egrediantur, neque ad aliam transeant, nisi illa prius evacuata*, ut inquit Cardinalis de Luca (*b*), cum nomen primogeniti aeque conveniat descendentibus a primogenitis, aetate licet junioribus, utpote primogeniti personam, a qua procedunt, repraesentantibus (*c*).

Hinc in majoratibus etiam Italiae hodie attenditur praerogativa lineae, non aetatis, et *isti termini majoratus, et primogeniturae ex communi usu, de facto haberi solent pro symoymis, dictaque differentia majori parti ipsorummet juristarum ignota esse solet*, ut inquit Cardinalis de Luca (*d*). Itaque reservato a fundatore jurepatronatus primogenito suae familiae compositae ex tribus fratribus A., B. et C., quisque eorum constituit suam lineam, scilicet primogenitus primam, secundogenitus secundam, et tertiogenitus tertiam: radicato autem jurepatronatus in linea A. primogeniti, illud non transit ad lineam B. secundogeniti, aut C. tertiogeniti, nisi evacuata tota linea A. primogeniti (*e*), accedente praesertim observantia (*f*).

Qui-

(a) Card. de Luca *de fideicom. disc.* 1. *n.* 13. *in fin. et* 14., *et disc.* 15. *n.* 7., *et de jurep. disc.* 21. *n.* 8.. Molin. *de jure primogenit. lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 13.

(b) *De fideicom. disc.* 1. *n.* 13. *in fin.*, *et* 14.

(c) Molin. *de primogenit. Hispan. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 29.

(d) *De fideicomm. disc.* 1. *n.* 13., *et* 14.

(e) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *n.* 12.

(f) Tiraquell. *de jur. primog. qu.* 40. *n.* 228.

Quinam vero ex fratribus natis unico partu dicatur primogenitus, jure quaerunt doctores. Cum exploratum sit, quis eorum prius ex utero matris egressus fuerit, nulla quaestio est inter doctores, cum omnes conveniant sufficere pro primogenitura, ut quis vel momento praecedat alterum in nativitate (*a*). Itaque quaestio ista dicitur quaestio facti potius, quam juris, cum prior natu, statim ac probavit se praecessisse fratrem in nativitate, probaverit quoque primogenituram, non secus ac Esau, qui obtinuit primogenituram, quia egressus fuit ex matris utero prius, quam Jacob. Si vero re diligenter examinata, adhuc sit dubium, et obscurum, quis praecesserit alterum nativitate, quia fortasse mater erat sola, dum peperit, aut in loco obscuro, ita ut nulla dictae nativitatis signa sint, et conjecturae: variae sunt, et dissentientes inter se doctorum opiniones, quas vide apud Tiraquellum *de jure primogenit. quaest.* 17., cum funditus hac de re agendi hic locus non sit.

Dixi in capite XVIII. praecedenti loquens de jurepatronatus familiari, foeminas in defectum masculorum succedere posse in juspatronatus familiare, etiamsi fuerit reservatum masculis primogenitis tantum (*b*), cum juspatronatus etiam lineale, et ad formam primogeniturae reservatum transire nequeat de altera linea ad alteram, nisi evacuata

---

(a) Tiraquell. *de jur. primog. qu.* 2. Fargna *loc. cit. n.* 25.

(b) Rota ap. Piton. *discept.* 14. *num.* 18. 19. *et* 20. *discept.* 33. *num.* 5. *et* 6.

cuata prima linea per obitum foeminarum agnatarum, ut supra dixi (*a*): id tamen vim obtinere, hic opportune subnectere existimavi, nisi aliud expresse, vel tacite per conjecturas fundatio, aut peculiare statutum persuadeant, cum tunc, evacuata prima linea per obitum ultimi masculi de dicta linea, juspatronatus transeat immediate ad secundam lineam (*b*); puta si fundator reservasset juspatronatus sibi, et filio primogenito per rectam lineam masculinam descendenti, substituendo in ejus defectum lineam suarum filiarum (*c*), aut primogenito familiae foeminis semper exclusis, aut suis descendentibus masculis in genere de primogenito in primogenitum, quia tunc foeminae semper excluduntur, existentibus masculis a fundatore descendentibus etiam per foeminas, ut supra dixi (*d*). Ubi vero foeminae succedunt in defectum masculorum, ejus descendentes vocatos censeri cum eodem ordine primogeniturae, et cum praelatione masculorum foeminis, etiam natu minorum, ad servandam qualitatem masculinitatis a fundatore requisitam, docuit de Roye (*e*).

Fundatum juspatronatus cum conditione, ut possideatur tantum ab uno successore familiae, censetur

---

(a) Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *num.* 3., *et* 4.

(b) Torr. de Major. *cap.* 25. §. 5. *num.* 53. . Fargna *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 13. *num.* 17.

(c) Molin. *de primogen. Hispan. lib.* 3. *cap.* 5. *n.*69, Fargna *loc. cit. cas.* 13. *num.* 18.

(d) Fargna *loc. cit. cas.* 13. *n.* 19. *et* 20.

(e) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 9. §. *ultim.*

tur reservatum primogenito, seu natu majori, quod *omnino certum citra principium dubitandi* dicitur a Cardinale de Luca (*a*) *ex propositione, quam habemus* (subjicit ipse (*b*)), *quod vocato aliquo genere non specificata persona ad rem de sui natura, vel ex voluntate testatoris, individuam, vocatus censetur dignior, nempe primogenitus, seu natu major*.

Quid vero dicendum, si primogenitus vocatus moriatur superstite fundatore, nullo relicto filio, sed relicta filia tantum, succeditne filia primogeniti, vel secundogenitus fundatoris? Ita juxta *veriorem*, ut ipse ait, sententiam, distinguit de Roye (*c*), nempe quod succedit masculus secundogenitus fundatoris exclusa filia primogeniti defuncti, qui obiit ante mortem fundatoris, quia nullum jus primogenitus ad filiam transmittere potuit vivente fundatore, ut excluderet secundogenitum masculum ipsius fundatoris, quo existente, qualitas masculinitatis nequit suppleri a filia primogeniti defuncti, excluso secundogenito fundatoris: quod contra esset si filius primogenitus superstes fuerit fundatori, quia per ingressum jurispatronatus in lineam primogeniti dicitur ejus *quasi proprium, et patrimoniale*. Sicut jure feudorum primogenita masculi, quin et neptis ex filio primogenito mortuo excludit patruum, seu masculum secundogenitum a successione avi in feudo (*d*): quod hodie in successes-

(a) *De fideicom. disc.* 52. *num.* 14.

(b) *loc. cit. num.* 13. *in fin. et* 14. Soccin. Sen. *cons.* 252. *lib.* 2., *et cons.* 88. *lib.* 3.

(c) *Loc. cit.* §. *tertio si Paulus*.

(d) *Grammatic. decis.* 1. *n.* 29. De Ponte *de potest. proreg. tit. de success. mulier.*

cessione feudali extra ullum dubium procedere animadvertit de Ponte (*a*), et in foro receptum esse tradit Rovitus (*b*) juxta decisionem Regis Ferdinandi die 16. Maii anni 1480., quam refert Afflictus (*c*), adeo ut hodie videatur in Regno recepta uti lex. Vide Rovitum *loc. cit.*, et Blasium Altimari *obser. n. 6. ad dict. cons. 74. Roviti*.

CAPUT XXII.

De jurepatronatus activo.

AD juspatronatus activum pertinet jus praesentandi, super quo cum frequentes in foro excitentur quaestiones tam quoad diversum modum praesentandi, quam quoad voces praesentantium, ideo de eo fusius hic agendum existimavi.

Et quoad diversam speciem praesentationis distinguenda est praesentatio, quae fit *jure collegii*, seu *collegialiter*, uti loquuntur doctores, a praesentatione, quae fit *jure singulari*, seu a singulis uti singulis. In praesentatione jure collegii, seu collegialiter requiritur, ut non separatim, sed eodem tempore fiat praesentatio, et concurrat ad praesentandum major pars *comparatione totius*, non *comparatione minoris*, juxta distinctionem, quam supra

(a) *Loc. cit. n. 44. vers. unde ex his sequitur*.
(b) *Cons. 74. n. 13. part. 1.*
(c) *In Constit. Regni cap. 1. tit. de natur. success. feud. n. 19., et 54.*

pra retuli in *cap. praeced.* (*a*). Ad hujusmodi speciem praesentationis collegialiter faciendae pertinet praesentatio, quae fit per communitatem (*b*), quia, cum ad hujusmodi patronos praesentatio pertineat uti corpus, et collegium constituentes, non dicitur facta a corpore, et collegio, quod extra corpus, et colleginm fit. Ista namque praesentatio speciem electionis habet, in qua proinde obtinent, quae de jure obtinent in electione collativa, nempe ut omnes convocentur. Nam si unus non citetur, praesentatio potest irritari, si se opponat electioni (*c*): sin postea ratam habuerit electionem, electio rata manet, ut definitur in *cap.* 28. *de elect.*, ubi Innocentius III. decrevit: *infirmanda erit penitus electio taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire*. Dicitur proprie electio, quae indiget confirmatione, ut est praesentatio: ea enim, quae confirmatione non indiget proprie non est electio, sed vim potius collationis habet, adeo ut priora appellentur beneficia *electiva confirmativa*, posteriora *electiva collativa* (*d*).

Oportet, inquam, ut omnes convocentur ea convocationis specie, quae de consuetudine, seu solito fit, ut puta per vivam vocem, si sint praesentes, aut

(a) Fargna *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 7. *n.* 21. §. *ast in concreto*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 61. *n.* 17. Piton. *alleg.* 9. *n.* 31.

(b) Fargna *loc. cit.*

(c) Wan-Espen. *tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 39. *et* 40.

(d) Wan-Espen. *loc. cit. sect.* 3. *tit.* 4. *cap.* 3. *n.* 5.

aut per signa campanae, vel per litteras, vel nuncium, si sint absentes, aut per edictum, si domicilium ignoretur (*a*). Absentes autem convocari debent, modo sint intra eamdem provinciam, uti notant doctores communiter (*b*) in illis verbis Innocentii III. in *cap.* 35. *de elect.*: *Vos fratribus, qui fuerint in provincia, convocatis*: modo locus, ubi morantur, intra provinciam sit ita propinquus, ut commode vocari possint, ut post Glossam ad *dict. cap. verb. in provincia*, notant Canonistae (*c*). Itaque, si *provincia esset multum lata, et longa, non debent vocari, quia periculum est in mora*, ut inquit eadem Glossa *loc. cit.*. Et loquens de electore absente etiam extra provinciam, subjicit: *et eodem modo, si esset extra provinciam, et propinquus, tunc vocandus esset*. Praeterea praescribendus est terminus competens, in quo, modo competens sit, si non comparuerint, expectandi ulterius non sunt, ut animadvertunt Canonistae ad *cap.* 18. *de elect.* (*d*); nisi ex legitima causa, nempe necessaria, aut utili absint, et sine periculo, et incommodo expectari possint (*e*).

Et licet ex *cap.* 34. *de elect.* ille legitime electus censeatur, qui electus fuit consensu totius capituli, vel majoris, et sanioris partis: non dicitur tamen sanior pars capituli, quae revera sanior est, sed quae major, quia major praesumitur etiam sanior,

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 12. *et* 13.
(b) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 13. *n.* 14.
(c) Ap. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 14.
(d) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 15.
(e) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 15. § *essent*.

nior, nisi electio facta sit contra formam sacrorum canonum, vel personae indignae, vel cum damno, non utilitate ecclesiae (*a*). Et ita hodie in omni electione obtinere testatur Wan-Espenius (*b*). Nam, *si aliter res esset, injiceretur inter vocales pomum discordiae amaricantis zeli, mutuarum accusationum, et contumeliarum, et implacabilis odii fomenta, si merita, vel demerita essent exploranda, et invicem comparanda vocalium*, ut merito animadvertit Cabassutius (*c*). Praeterea usu receptum, ut electio fiat per vota secreta, nempe per schedulas, quod praecipue decretum fuit a S. Conc. Tridentino *sess.* 25. *de regular. cap.* 6. pro Regularibus, adeo ut neque eligentium nomina patefieri unquam possint sub poena nullitatis electionis, et inhabilitatis in posterum obtinendi omnia officia in Religione.

Convenit igitur praesentatio, quae ad patronos tamquam collegium, et corpus constituentes, seu collegialiter pertinet, cum electione: et illa dicitur canonice facta electio, quae perficitur a pluralitate suffragiorum eligentium, aut praesentantium (*d*). In praesentatione igitur, quae collegialiter fit, etiam citra fundationem, aut statutum, requiritur, ut fiat a majore parte praesentantium *comparatione totius*, nempe ut excedat medietatem patronorum praesentantium, ut definitur in *cap.* 33. *de elect.*, prout est praesentatio in jurepatronatus

---

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 33.

(b) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 34. §. *quare hodie*.

(c) *In theor. jur., et prax. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 14. *in fine*.

(d) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 31.

natus communitatis, quae ad omnes de populo spectat in càpita, si communitas regatur per congregationem omnium de populo, ut loquuntur doctores, sine sexus, aut personarum distinctione (*a*), dummodo sint septennio majores. Nam septennio minor non est admittendus, imo neque vocandus, nisi malitia suppleat aetatem, sed ejus tutor (*b*). Eo minus admittitur extraneus, nisi de communi omnium consensu, et nemine contradicente (*c*), aut nisi ad praesentandum accederet uti procurator alicujus de communitate, cum tunc consensus majoris partis sufficiat, ut admitti possit ad praesentandum (*d*).

Si vero communitas regatur per decuriones, vel alios, penes quos omnis populi potestas sit, praesentatio ad ipsos spectat tamquam repraesentantes totam communitatem, dummodo non sint mulieres, filiifamilias, et quatuordecim annis minores (*e*). Et quidem possunt praesentare tam *corrective* recedendo a prima praesentatione, si irrita fuerit, quam *accumulative*, ut distinguunt doctores, modo ad dictam *correctivam*, ut loquuntur doctores, aut *accumulativam* praesentationem concurrat omnium decurionum, seu Regentium consensus, nemine discrepante, ut iidem doctores concludunt (*f*).

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 34. *n.* 11., *et* 12., Fargna *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 6. *n.* 2. *et* 3.
(b) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 4.
(c) Vivian. *P.* 2. *lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 26. *et seq.*
(d) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 6.
(e) Vivian. *loc. cit. lib.* 8. *cap.* 2. *n.* 20. Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 7.
(f) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 6. *n.* 8.

At major pars accipitur comparatione tantum patronorum intervenientium in actu nominationis faciendae, seu congregatorum, praevia legitima convocatione, non comparatione patronorum non intervenientium. Itaque ad validitatem praesentationis requiritur: ut omnes de communitate, vel decuriones, aut Regentes, si ab ipsis communitas regatur, more solito convocentur ab eo, ad quem de consuetudine, aut privilegio spectat convocatio, qui intervenire possunt per se, vel per procuratorem, si legitime sint impediti: ut praesentatio fiat a majore parte comparatione omnium patronorum intervenientium in actu nominationis, seu congregatorum: et denique ut praesentatio fiat personae idoneae; uti late docent doctores (*a*). At si praesentatio fiat inhabilis sub expressa conditione idoneitatis, ne irrita sit, idoneitas supervenire debet in termino a jure concesso ad praesentandum, ut infra latius dicam. Sed neque solemnitas convocationis necessaria est ad validitatem nominationis, modo omnes de communitate conveniant licet solemniter non convocati, omnesque praesentent (*b*).

Quod autem dixi de praesentatione, quae ad communitatem, seu ad patronos tamquam unum corpus pertinet, intelligitur de jurepatronatus competente communitati ex causa fundationis factae de bonis ejusdem universitatis, et de praesentatione, quae fit ab officialibus ipsius communitatis.

Nam

(a) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 7.
(b) Fargna *loc. cit. cas. 7. n. 6.*

Nam si fundatio facta sit de bonis personae particularis , seu alicujus privati , vel ab officialibus non communitatis, sed ecclesiae, sive alterius loci pii ab ipsis gubernati, dicti officiales , seu administratores , ut vulgo dicuntur , considerantur a collegio, seu corpore communitatis separati: quorum proinde nominatio non indiget requisitis convocationis, et simultaneae suffragiorum praestationis; sed fieri potest a singulis uti singulis, prout fit in jurepatronatus, quod ad patronos spectat jure singulari (*a*). Quin et in jurepatronatus ad communitatem pertinente sufficit praesentatio jure singulari , si ita doceat observantia (*b*). Et in dubio juspatronatus pluribus reservatum praesumitur reservatum pluribus ut singulis, non uti communitati, et collegio (*c*).

Ad praesentationem autem jure singulari quod attinet, sufficit major pars comparatione minoris. Itaque ex duodecim patronis , si sex praesentent unum, quatuor alterum , et duo alium clericum , praesentatus a sex dicitur praesentatus a majore parte, quia illa vox sex patronorum dicitur major comparatione vocis quatuor patronorum , et alterius duorum patronorum , idest comparatione minoris (*d*). Et diviso jurepatronatus in duas voces,

 si

(a) Piton, *alleg.* 95. *n.* 19.
(b) Card. de Luca *de jurep. dist.* 61. *n.* 26.
(c) Rota ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 5. *post cas.* 7. *n.* 22.
(d) Abbas *in cap. quoniam* 13. *de jurep.* Card. de Luca *de jurep. disc.* 61. *n.* 17. . Piton. *alleg.* 9. *n.* 31. §. *hinc*. Rota ap. Merlin. *dec.* 443. *n.* 9. *et* 20.

si alter ex praesentatis habeat pro se unam vocem, et alterius vocis medietatem, utpote habens majorem partem vocum, instituendus est ad beneficium, rejecta altera vocis medietate spectante ad alterum patronum, ut judicavit Rota in *Firmana beneficii die 26. Junii* 1719. impressa apud Fargnam (*a*).

Et quoad modum praesentandi in dicto jurepatronatus non jure collegii, sed jure singulari patronis competente, cum nulla de jure forma, nulla solemnitas praescripta sit, sufficit, ut fiat quocumque modo, sive voce, sive per nuncium, sive testamento, sive litteris, modo falsitatis suspectae non sint, neque subreptionis vitium habeant, et sint subscriptae a patrono cum distinctione nominis praesentati, diei, mensis, et anni, quo fuit facta nominatio (*b*): et ita in praxi receptum est. Imo sufficit praesentare per procuratorem, ut aperte definitur in *cap. 6. de iis, quae fiunt a praelato sine consensu capituli*; modo procuratio contineat mandatum ad praesentandum ad beneficium vacans, cum mandatum ad praesentandum ad beneficium vacaturum irritum sit, ut aperte definitur in *cap. 2. de concess. praebend. et eccles. non vacant.*: nisi sit mandatum generale ad praesentandam personam incertam, cujus electio ad ipsius procuratoris arbitrium remissa sit, cum ca-

(a) *In decisionibus Sacrae Rotae Romanae in fin. libri dec. 2. in princ.*

(b) Fargna *P. 2. can. 3. cas. 4. n.* 10. Vitalin. *in Clement.* 1. *de excess. praelat. n.* 76. Rota *dec.* 239. *part.* 18. *rec. tom.* 2. *et* 285., *et* 398. *part.* 16. *rec.*

casus vacationis obtigerit, ex justa tamen causa absentiae, vel impedimenti, si patronus unum beneficium habeat, vel sine causa, si plura habeat beneficia, et mandatum contineat facultatem praesentandi ad beneficia in genere, ut distinguunt doctores (*a*), quia tunc non obstat votum captandae mortis, adeoque cessat ratio dicti *cap.* 2., ob quam fuit prohibita praesentatio ad beneficium vacaturum, ut non pauci doctores post Frideric. Sen. *cons.* 99. tradunt, et superius dixi in capite III. loquens de donatione juris praesentandi. Sic et irrita est praesentatio facta ab ipso patrono ad beneficium plenum, seu nondum vacans, ut definitur in *cap. fin. de concess. praebend.*: licet hujusmodi irrita praesentatio facta ad beneficium plenum, bona tamen fide, et sine dolo, post vacationem beneficii rata fiat, si patronus in eadem voluntate perseveret, ut pariter distinguunt doctores (*b*).

Mandatum autem procurationis non impedit, quominus patronus per se praesentet, et facta praesentatione per patronum, cessat mandatum procurationis: post vero praesentationem procuratoris potest patronus alterum accumulative praesentare (*c*). In qua pariter praesentatione admitti possunt conditiones licitae, puta si nominatus ordinem clericalem assumat, si habeat ordinem sacrum in ec-

 cle-

(a) Apud Fargnam *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 1. *n.* 1. Vivian. *lib.* 5. *part.* 2. *cap.* 6. *n.* 9.

(b) Apud Fargnam *loc. cit. cas.* 1. *n.* 7.

(c) Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 5. *et* 6., *de cons.* 542. *n.* 9.

clesiis Cathedralibus requisitum juxta ea, quae supra dixi in capite VIII. *de beneficiis*, aut in fundatione, sive alia requisita a sacris canonibus, aut a fundatore, si habeat aetatem a jure praescriptam, si dispensationem super aliquo impedimento obtineat. Quae tamen conditiones infra eumdem terminum a jure concessum ad praesentandum omnino adimplendae sunt (*a*). Qualitates enim a jure requisitae pro praesentato, ut instituatur ad beneficium, nisi aliud in fundatione cautum sit, non requiruntur *actu* tempore nominationis, sed *habitu*, nempe ut possit eas in termino a jure concesso ad praesentandum habere. Itaque possunt patroni nominare laicum, etiam sine conditione clericatus, et valet nominatio, si praesentetur post clericatum (*b*).

Utrum vero sub dicta conditione nominatus, puta laicus sub conditione dispensationis clericatus, praesentari debeat post obtentam qualitatem intra eumdem terminum a jure concessum, seu superveniente qualitate, vel dispensatione, vel possit praesentari sub dicta conditione, quaerunt doctores. Et communiter docent (*c*) sufficere, ut qualitas superveniat ante institutionem, intra tamen terminum a jure praefixum praesentationi: ita-

(a) Vivian. *P.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 24. *et seq.*

(b) Rota ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 13. *n.* 28. Piton. *alleg.* 61. *n.* 14.

(c) Ap. Card. de Luca *de jurep. disc.* 45. *n.* 7., *et* 8. Piton. *alleg.* 1. *n.* 24. Corrad *in prax. benef. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 31. Rota ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 13. *n.* 26.

itaque potest etiam ante superventam conditionem praesentari.

Num idem obtineat pro nominato sine dicta conditione clericatus, ut praesentari possit ante clericatum proxime clericandus, quaestio est inter doctores (*a*). Non desunt, qui docent, id posse fieri, quia conditio subintelligitur, ut ipsi ajunt: *quod si verum foret* (optime ad rem animadvertit Pitonius (*b*)) *cassanda foret conclusio, quod praesentatio laici sit nulla, quia semper deberet subintelligi facta sub conditione futuri clericatus, dum laicus post praesentationem intra quadrimestre promoveretur ad clericatum, sine quo scit non posse obtinere beneficium, et semper de tempore praesentationis appareret proxime clericandus; quod proinde ego non admitto, nisi saltem in actu nominationis coram Ordinario ipse nominatus peteret se inflictum praevia collatione clericatus, ita explicando in actu praesentationis nominationem simpliciter factam per patronos, ut me scribente decisum fuit in dicta Mellevitana beneficiorum, ut supra, coram R. P. D. Aldrovando.*

Ista quaestio pro arctatis hodie sublata est novissimo Concordato ann. 1741. *cap.* 4. §. 6., quo statuit Concordatum, ut plures arctati, seu passive vocati ad beneficium, etiam laici, praesentari possent ad beneficium, et institui praeviis litteris testimonialibus idoneitatis tam quoad scientiam, quam quoad mores, eique inter praesentatos deinde primam tonsuram conferri, qui institutionem ad beneficium obtinuit.

Ad

(a) Ap. Piton. *alleg.* 61. *n.* 15.
(b) *Loc. cit.*

Ad fundationem quod attinet, qualitas requiritur eo tempore, quod praefinitum est a fundatore, puta tempore vacationis, si in fundatione dictum sit, ut nemo institui possit, qui tempore vacationis non reperiatur clericus (*a*): tempore nominationis, aut praesentationis, si dictum sit, ut non instituatur, nisi qui tempore nominationis, aut praesentationis clericus reperiatur (*b*), vel ut praesentetur sacerdos, aut clericus, quia illa dictio *aut* idem sonat, ac *saltem*; nempe ut ille, qui praesentatur, tempore praesentationis actu sit sacerdos, vel saltem clericus (*c*); dictio namque *aut* post verbum *sacerdos* dicitur *argumentativa*, *et extensiva*, ut inquit Rota apud Pitonium (*d*): tempore denique institutionis, si dictum sit, ut qualitas requisita existat *tempore provisionis*, quia tunc sufficit, ut praesentatus eam ante institutionem obtineat (*e*). Non pauci doctores (*f*) docent, tacitam quoque praesentationem sufficere pro institutione praesentati, puta si facta sit ab aliquo patroni consanguineo, etiam sine patroni mandato, aut ratificatione praesentationis factae, modo dictae praesentationi factae a consanguineo patronus non contradicat alterum praesentando.

Praeter patronos, aliosque, quos recensui loquens de unaquaque specie jurispatronatus, potest prae-

---

(a) Piton. *alleg.* 85. *n.* 6.
(b) Piton. *alleg.* 33. *n.* 19.
(c) Rota ap. Piton. *post alleg.* 42. *n.* 29. *et* 30.
(d) *Loc. cit.*
(e) Piton. *alleg.* 85. *n.* 8.
(f) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 3. *cas.* 4. *n.* 11.

praesentare in jurepatronatus tum hereditario tum gentilitio tutor pro pupillo septennio non majore: major autem septennio, saltem si pubertati sit proximus, potest pupillus per se praesentare, ita ut concurrentibus ad praesentandum pupillo, et tutore, si diversas personas eodem tempore praesentaverint, praesentatio pupilli praeferatur (*a*); vel ceteris paribus datur locus gratificationi: et si diverso tempore praesentent, ac prius tutor, quam pupillus, praeferatur praesentatio tutoris, si praesentatus sit magis idoneus (*b*). Tutius vero, et honestius esse dicunt Joannes Andreas (*c*) et Ancharan. (*d*), si pupillus praesentet auctore tutore. Imo necessariam esse docet de Roye (*e*) auctoritatem tutoris, qui, si nolit eam praestare, cogendus sit Magistratus auctoritate: hinc subjicit non esse instituendum praesentatum a tutore, si alter praesentatus a pupillo non sit idoneus, sed posse pupillum alterum idoneum intra quadrimestre praesentare tutore auctore. In praxi tamen invaluit opinio Archidiaconi (*f*), ut major septennio, aut etiam septennio completo possit pupillus, etiam non auctore tutore, praesentare, ut refert Fargna (*g*).

Mi-

(a) Lambertin. *de jurep. lib.*2. *part.* 1. *qu.*2. *art.* 10. *n.* 1. Vivian. *P.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *n.* 17. *ad* 19.

(b) Fargna *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 19. *n.* 4. *ad* 8.

(c) *Ad cap.* 32. *de elect. et elect. potest. in VI.*

(d) *Cons.* 355.

(e) *In prolegom. cap.* 12. §. *cum agamus, in fine, et* §. *seq.*

(f) *In cap. decernimus* 16. *qu. ult.*

(g) *Loc. cit. cas.* 19. *n.* 5.

praesentandam nominationem factam, et institutionem obtinendam. Ipse vero patronus nequit seipsum praesentare, nequidem per procuratorem a se deputatum, ut aperte definitur in *cap. per nostras 26. de jurep.*; *quia differentia debet esse inter praesentatum, et praesentantem, dantem, et recipientem*, ut inquit Glossa ad *dict. cap. per nostras, verb. praesentare, litt. D.*: sed potest tantum preces Episcopo porrigere, ut instituatur ad beneficium, si patronus sit unicus juxta receptam sententiam Abbatis in *id. cap. per nostras*, adprobatam per Rotam (*a*), vel ceteris paribus adhaerere vocibus eorum, a quibus praesentatus fuit, ad constituendam majorem partem vocum, ut docent communiter doctores (*b*), rejecta distinctione inter beneficium simplex, et non simplex, quae in foro non fuit recepta, ut testatur Cardinalis de Luca (*c*); etiamsi non unicus, sed plures sint patroni, ut contra Lambertinum docet Pitonius (*d*).

Tanta autem est vis praesentationis, ut praesentato omnino debeatur institutio, si non sit manifeste inhabilis, et non idoneus. Quidquid enim sit de foro interno, in foro externo digniores praeferuntur dignis in jurepatronatus ecclesiastico tantum, ut patet ex Tridentino *sess.* 24. *de reform. cap.* 18., ubi loquens de beneficio curato jurispatronatus ecclesiastici decrevit: *Si vero jurispatro-*

(a) *Dec.* 430. *n.* 39. *P.* 9. *rec.*
(b) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 1. *et* 2. *cas.* 12. *n.* 38., *et can.* 29. *cas.* 1. *n.* 1.
(c) *De jurep. disc.* 31. *n.* 4. §. *in hoc*.
(d) *Alleg.* 52 *n.* 2. 3. *et* 4.

tronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter approbatos ab examinantibus judicabit, Episcopo praesentari teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Licet in beneficiis non curatis in praxi pro institutione sufficiat, ut praesentatus ad beneficium de jurepatronatus ecclesiastico sit praesentatus a majore parte, seu habeat pro se majorem partem vocum, *nisi a paucioribus, et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, et ostensum*, ut ex Concilio Lateranensi definitur in *cap.* 1. *de his, quae fiunt a majore parte capituli*: in jurepatronatus tamen laico sufficit, ut sit idoneus. Decrevit enim Tridentinum *loc. cit.*, *ut debeat, qui a patrono praesentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non, nisi idoneus repertus fuerit, admitti*. Itaque Ordinarius debet omnino praesentatos instituere, nisi probaverit eos esse *absolute inidoneos*, ut inquit Wan-Espenius (*a*). Itaque hujusmodi institutio vulgo dicitur *collatio necessaria*, ut eam appellat idem Wan-Espenius (*b*), et ita in praxi servatur.

Et quod de examine decrevit Tridentinum quoad beneficia curata, intelligitur etiam de beneficiis non curatis, si praesentati sint a patronis ecclesiasticis, ut idem Tridentinum decrevit *sess.* 7. *de ref.*

(a) *Tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 5. *n.* 8.
(b) *Loc. cit. cap.* 5. *n.* 8.

ref. cap. 13. : *praesentatis tamen electis, seu nominatis ab universitate, seu collegiis generalium studiorum exceptis*, ut Concilium subdidit: et de beneficiis simplicibus etiam jurispatronatus laici, ut contra Fagnanum ex communi veterum, et recentiorum Canonistarum sententia innixa juris communis sanctioni in *cap. ad haec, de offic. Archid.*, concludit Fargna (*a*); quia, cum sit casus omissus a Tridentino, comprehenditur sub dispositione juris communis praecedentis, quo necessarium est examen cujuscumque praesentati. Et eo vel maxime requiritur in beneficio jurispatronatus laici, quia in patronis laicis non praesumitur scientia canonum, quae praesumitur in patronis ecclesiasticis. Quin et comprehendi videtur in eodem Tridentino *sess.* 25. *de ref. cap.* 9., ubi nulla facta distinctione inter patronos ecclesiasticos, et laicos decrevit, ut *liceat Episcopo praesentatos a patronis, si idonei non fuerint, repellere*; licet non requiratur *pro forma*, adeoque irrita non sit institutio sine examine obtenta, quia in Concilio *loc. cit.* deest *clausula irritans*, quae necessaria est, ut sit de forma (*b*), prout requiritur in beneficiis curatis, aut in iis, in quibus *ad inferiores institutio pertineat*, ut subdidit Concilium in *dict. cap.* 9. *sess.* 25.; quia Concilium decrevit in *eod. cap.* 9. *sess.* 25. ut facta sine examine institutio ab inferioribus *irrita sit et inanis*: et ita communi calculo docent Canonistae (*c*).

In

(a) *P.* 5. *can.* 1. *cas.* 1. *n.* 6. *et seq.*
(b) Massebr. *in prax. habend. concurs. requisit.* 5. *dub.* 15. *n.* 3. Fargna *loc. cit. cas.* 2. *n.* 4. *et* 5.
(c) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 2. *n.* 6.

In praxi vero communiter receptum vidi, ut examen adhibeatur in passive vocatis ad beneficium, et praesentatis in statu laico, ut obtinere possint litteras testimoniales idoneitatis quoad scientiam juxta formam Concordati supra relatam, ac promoveri ad clericalem tonsuram post obtentam institutionem; quia cum nondum clerici sint, ignoratur, num idonei sint ad obtinendam tonsuram clericalem, pro qua Concilium *sess.* 23. *cap.* 4. *de ref.* requirit, ut sciant legere et scribere, ideoque possint recitare officium divinum, juxta ea, quae supra dixi in capite I. *de beneficiis*; in praesentatis vero in statu clericali numquam vidi confectum examen, quod neque ab ipso Concordato praescribitur, nisi pro laicis tantum arctatis, seu paſſive vocatis ad beneficium: et ita generalis consuetudo obtinet, quam testatur Wan-Espenius (*a*), nisi beneficia curata sint.

Terminus a jure praescriptus ad praesentandum est sex mensium pro patronis ecclesiasticis, quatuor mensium pro patronis laicis, ut antea dixi, qui computatur a die verae et certae scientiae, ut inquit Cardinalis de Luca (*b*), juxta receptam in foro doctorum sententiam (*c*), quae cum numquam praesumatur, nisi probetur, ut definitur in *cap*. 47. *de reg. jur. in VI.*, ideo in dubio judicari debet, quod non adfuerit, sed ignorata sit vacatio (*d*), nisi ignorantia crassa sit, aut supi-

(a) *Tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 9. *cap.* 1. *n.* 15.
(b) *De jurep. disc.* 64. *n.* 5. §. *contrarium*.
(c) Ap. Vivian. *P.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *n.* 7. Fargna *P.* 2. *can. unic. cas.* 1. *n.* 22.
(d) Piton. *alleg.* 96. *n.* 4. *et* 5. Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 22.

supina; ut praesumitur, si is, qui beneficium obtinebat, ibi obierit, ubi patroni certum, assiduum, et stabile domicilium habebant (*a*). Etenim verisimile non est, quod patronus post scientiam vacationis beneficii praesentationem omiserit; ideoque beneficii provisionem ad Ordinarium devolvi voluerit (*b*).

Potest vero Ordinarius terminum limitare, si vel unus patronus praesentaverit, et in praxi servatur, ut illico post primam praesentationem expediantur, et affigantur edicta (*c*): sicut *si eo tempore, quo praedium distrahebatur, programmate* (*quod est libellus publice propositus*, ut notat Dionysius Gothofredus ad *dict. leg. n.* 1.) *admoniti creditores, cum praesentes essent, jus suum executi non sunt, possunt videri obligationem pignoris amisisse*, ut dixerunt Impp. Diocletianus et Maximianus in *l. 6. cod. de remissione pignoris*. Quod et in electione vim obtinere, si electio confirmatione indigeat, decrevit Bonifacius VIII. in *cap. ultim. de elect. in VI.*, *assignato peremtorio termino competenti*, ut verbis utar Bonifacii VIII. in *cap. ult. de elect. et elect. potest. in VI.*, *secundum locorum distantiam, personarum, et negotii qualitatem*, ut explicat Glossa ad *id. cap. verb. competenti*, *litt. L.* (*d*), qui novem saltem sit die-

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 64. *n.* 5. *in fine*, *et* 6.
(b) Fargna *P.* 3. *can. unic. cas.* 1. *n.* 12.
(c) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 49. *n.* 2.
(d) Card. de Luca *de jurep. diſc.* 49. *n.* 4.

dierum, ut tradunt doctores (*a*). Cujus sanctionem ex similitudine rationis et ad praesentationem extendi docuit Glossa ad *id. cap. verb. electione, lit. B.*, et tradiderunt communiter Canonistae (*b*). Sicut enim Ordinarius potest terminum a jure concessum patronis ad praesentandum prorogare etiam post devolutionem, intra tamen semestre sibi a jure concessum ad conferenda beneficia (*c*), cum ex regula juris in *cap. 6. de privileg.* quisque possit juri suo renunciare: ita limitare, et abbreviare eum potest in edictis, ita ut lapso termino in edictis apposito, possit Ordinarius procedere ad institutionem. Haec tamen adhibeatur distinctio, quod aut edicta expediuntur ad instantiam praesentati, qui petit institutionem, ut fieri solet in praxi, et tunc si alii patroni non praesentent, potest procedere ad institutionem primi praesentati, etiam nondum lapso termino a jure concesso ad praesentandum, adeo ut facta institutione amplius patronis praesentare non liceat, etiam intra dictum terminum a jure concessum ad praesentandum; liceat vero intra dictum terminum juris, lapso etiam termino in edictis apposito, si nondum Ordinarius ad institutionem processerit. Aut edicta expediuntur ex officio, nemine instante, et tunc quamvis limitatio, seu ab-

(a) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 9. 10. *et* 11. *cas.* 1. *n.* 10. *et* 11.

(b) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 9. 10. *et* 11. *cas.* 1. *n.* 10., *et* 11.

(c) Rota *decis.* 187. *P.* 18. *rec. n.* 4. *et* 5.

abbreviatio termini valida sit, si patroni non contradicant; ipsis tamen contradicentibus, aut petentibus gaudere termino a jure ipsis concesso ad praesentandum, edicta subsistere nequeunt, quia nequit Episcopus jura tertii, seu patronorum offendere, ut recte, et communiter docent Canonistae (*a*).

Utut vero sit, illud certum est, institutionem sine citatione patronorum aut speciali, aut generali, seu per edictum, irritam esse, ut de electione dicitur in *dict. cap. ultim. de elect. in VI.*, et de institutione docent communiter Canonistae (*b*). Quin patronos certos specialiter citandos esse, ut praesentent, ipsi docent (*c*), et definivit Rota in *una Hostunensi beneficii* 10. *Decembris* 1708. *coram Crispo* impressa apud Fargnam (*d*), ne aliter institutio irrita sit juxta *id. cap. ultim. de elect.*; quod tamen in praxi sine ulla compatronorum, aut interesse habentium instantia numquam fieri vidi. Prorogatio autem quae fieri potest per Ordinarium usque ad sex menses sibi concessos ad conferendum beneficia, etiam tacita inducitur per admissionem praesentationis post quadrimestre in jurepatronatus laico, aut semestre in jurepatronatus ecclesiastico: licet praesentatio admissa fuerit cum clausula, *sic et in quantum*, *et*

(a) Lambertin. *de jurep. lib.* 2. *part.* 2. *qu.* 1. *art.* 28. Card. de Luca *de jurep. disc.* 49. *n.* 5. *et seq.* Fargna *P.* 3. *can. unic. cas.* 6. *n.* 3. 4. *et* 5.
(b) Ap. Fargnam *P.* 3. *can. unic. cas.* 1. *n.* 11.
(c) Fargna *P.* 3. *can. unic. cas.* 1. *n.* 35. *et* 36.
(d) *P.* 3. *can. unic. cas.* 1. *n.* 34.

prout de jure, cum Ordinarius illam admittens eo ipso, quod non rejecit, ipsam probasse videatur (*a*). Quae tamen prorogatio concedi potest ab Ordinario in sui praejudicium tantum, non in praejudicium compatronorum, qui tempore legitimo intra quadrimestre, aut semestre juxta diversam jurispatronatus qualitatem, praesentaverunt. Nam idem esset, ac tollere aliis jus ipsis quaesitum (*b*). Quod autem dixi de potestate Ordinarii circa limitationem, seu abbreviationem termini, accipi non debet de jurepatronatus Regio, seu ad supremos Principes pertinente, qui utpote assiduis, et maximis principatus curis impediti non habent terminum praefinitum ad praesentandum (*c*).

Patronis vero non praesentantibus, jus devolvitur ad Episcopum, cujus tamen collatio, quae fieri debet infra sex menses sibi a jure concessos ad conferendum beneficia, fieri dicitur jure ordinario: a Metropolitano autem, si per Episcopi negligentiam beneficium non conferatur infra sex menses, fieri dicitur jure devoluto, ut supra dixi. Si Metropolitanus quoque negligens fuerit, collatio devolvitur ad S. Sedem. Verumtamen pro devolutione provisionis beneficii ad Ordinarium neque lapsus termini juris, neque affixio edictorum sufficiunt. Edicta namque praesumere faciunt scien-

(a) Vivian. *P.* 2. *lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 9. Piton. *alleg.* 61. *n.* 22.

(b) Piton. *alleg.* 61. *n.* 23. *et* 24.

(c) Salgado *de Regia protect.* *P.* 3. *cap.* 8. *n.* 43., *et seq.*. Fargna *P.* 3. *can. un. cas.* 1. *n.* 10.. Card. de Luca *de jurep. disc.* 64. *n.* 13.

scientiam vacationis in illis patronis, qui in loco, ubi situm est beneficium, aut saltem in dioecesi domicilium habent, si ibi affixa fuerint; non autem in patronis, qui alibi, praesertim in remotis, vitam agunt. Itaque probari omnino debet scientia vacationis in omnibus patronis, et praecedere citatio specialis patronis certis juxta sententiam supra relatam: secus neque dicitur devoluta collatio, neque jure devoluto facta collatio valida esset, ut dixit Rota in dicta *Hostunensi beneficii*, et docent unanimi consensu Canonistae (*a*).

Spectat pariter ad Ordinarium gratificatio inter praesentatos in paritate vocum, qua tamen abuti non debent, sed eam pro justo arbitrio, ac aequitate tribuere juxta juris regulas, quas infra dicam.

Et primo tenetur Ordinarius gratificare consanguineum fundatoris, vel patroni, seu praeferre extraneo etiam digniori consanguineum fundatoris, etiam illegitimum. Ipsa namque consanguinitas, sive quoad fundatorem, sive quoad patronum, sufficit, ut quis dicatur dignior in concursu cum extraneo; dummodo patronus praesentet in beneficio de jurepatronatus tamquam suo, non alterius, puta dignitatis, aut officii, quo fungitur, cum tunc non ipse, sed dignitas dicatur patrona, et dignitas, aut officium, vel universitas sint corpus fictum non habentes consanguineos (*b*). Tenetur,

 in-

(a) Ap. Fargnam *P.* 3. *can. un. cas.* 1. *n.* 34. *et* 35.
(b) Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 8. *n.* 11., *et* 12.. Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 15.

inquam, Ordinarius gratificare consanguineum, triplici tamen adhibita distinctione, nempe quod aut concurrit cum extraneo, etiam sacerdote, et praefertur extraneo: aut concurrit cum sacerdote extraneo, sed patrono, et pariter praefertur extraneo sacerdoti licet patrono, quia qualitas sanguinis, seu descendentiae a fundatore, praefertur qualitati patroni extranei: aut consanguineus concurrit cum sacerdote consanguineo simul, et patrono, et praefertur sacerdos consanguineus simul, et patronus, utpote duas habens qualitates; attenta etiam praesumta mente fundatoris, qua consanguineus simul et patronus ad jus activum vocatus, nempe ad jus praesentandi, censetur praedilectus etiam in jure passivo (*a*). Ratio autem hujusce gratificationis innititur juri antidorali, quo ecclesia obstringitur erga fundatorem, aut patronum, *cum in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii*, *a quibus beneficium nos cognovimus recepisse*, ut ex Concilio Lateranensi dicitur in *cap. 7. de testam.*. Et quoad consanguineos inquit Cicero in *lib. I. de offic. cap.* 16. *n.* 50.: *optime autem societas hominum, conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur*.

Ceteris paribus, debetur gratificatio ei, qui vo-

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 8. *num.* 8. *ad* 10. . Piton. *discept. eccles.* 38., *et alleg.* 52. *n.* 13. *in Mediolanen. jurispatronatus* 3. *Julii* 1684. *n.* 7. *ap. Piton. in dicta discept.* 38.

vocem habet pinguiorem (*a*), nisi alter praesentatus sit consanguineus, qui excludit extraneum praesentatum habentem vocem pinguiorem, modo extraneus non habeat duplicem vocem, alteram nempe privativam, accumulativam alteram, de quibus late egi in capite praecedenti.

Praeterea debetur gratificatio, ceteris tamen paribus, legitime nato in concursu cum illegitimo etiam legitimato: antiquiori in ordine presbyterali in concursu cum sacerdote, qui postea ordinem presbyteralem suscepit, ut definitur in *cap.* 1., *et cap.* 15. *de majorat. et obed.*, in quo Gregorius IX. archipresbytero Sanctae Mariae majoris de Urbe respondit: *qui major est ordine, etiam si postea sit receptus in portione percipienda, esse volumus potiorem*; et pluries definivit Rota: sacerdoti *actu* in concursu cum sacerdote *habitu*, aut simplici clerico: clerico in majoribus ordinibus constituto in concursu cum clerico constituto in ordine inferiori, ut definitur in *eod. cap.* 15. *de major. et obed.*: clerico in consursu cum laico: illi, qui dispensatione non indiget, in concursu cum eo, qui dispensatione indiget sive ad clericatum, sive ad beneficium obtinendum: pauperi, praesertim si sit nobilis, in concursu cum divite, ut patet *ex can.* 14. *dist.* 86. in prima parte Decreti: constituto in gradu ecclesiastico cum eo, qui nullum, aut inferiorem in ecclesia gradum habet: seniori in concursu cum juvene: laureato in concursu

(a) Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 33. *et* 34. Fargna *P.* 2. *can.* 9. 10. 11. *cas.* 9. *n.* 1. *et* 2.

cursu cum non laureato, aut laureato posteriori (*a*), sicut jus tribuit praelationem antiquiori militi, qui prius caepit militare; dignior namque, qui prior dignitatem, aut officium consecutus est, dicitur in *cap. fin. dist.* 17. in prima parte Decreti, ubi Glossa *verb. Episcopus*, *litt. D.*, *notat.*: *generale est, quod, qui prius dignitatem receperunt, praeferendi sunt aliis*.

Nobilem praeferri ignobili, doctores censuerunt (*b*); quod tamen temperate saltem intelligendum est, *quia non generis, sed virtutum nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciunt, et idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles, et potentes elegit, sed ignobiles, et pauperes, eo quod non est personarum acceptio apud ipsum*, ut inquit Gregorius IX. *in cap.* 37. *de praebend. et dignit.*. Temperate, inquam, accipiendum est, inspecta nempe ecclesiae necessitate, qua in electionibus habendam esse rationem potentiae *vel divitiarum*, *sive nobilitatis* existimavit Glossa ad *cap.* 46. *de appellat. verb. impotentiam*, *lit. A.*. Itaque subjicit: *si omnes aliae circumstantiae pares essent hinc inde, satis potest recurri ad divitias, seu potentiam, ut per eos sublevetur ecclesia*: cujus sententia fuit recepta a doctoribus (*c*), et Ro-

---

(a) Fargna *loc. cit. cas.* 6. *n.* 1. *ad* 3., *et cas.* 12. Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 1. *ad* 32.. Corrad. *in prax. benef. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 51. *ad* 57.. Piton. *alleg.* 85. *n.* 13. Sacra Congregatio ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 12. *n.* 5.

(b) Ap. Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 19.

(c) Ap. Vivian. *loc. cit. n.* 21. Antonel. *de regim. eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 33.

Rota, quam refert Antonellus (*a*) post S. Thomam, cujus sententiam infra exscribam.

Ornatior moribus praefertur doctiori; quin in concursu majoris aetatis, et antiquioris sacerdotii non esse maximi faciendam qualitatem litteraturae definivit Rota (*b*), quod tamen, quomodo sit accipiendum, vide S. Thomam 2. 2. *quaest.* 63. *artic.* 2. *ad* 4. *vers. et quia*, ubi ait: *considerare oportet, quod dignitas alicujus personae potest attendi dupliciter: uno modo simpliciter, et secundum se; et sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiae donis; alio modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, et minus sciens, potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam saecularem, vel propter aliquid hujusmodi. Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem communem secundum illud* 1. *ad Cor.* 12. 7.: *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem: ideo quandoque absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus praeferuntur; sicut etiam Deus gratias gratis datas quandoque concedit minus bonis.* Itaque *aliquando minus sciens, et minus sanctus melioribus praeferendus est*, ut recte concludit Antonellus (*c*). Et quidem experientia docet plures esse ecclesiasticos sanctiores hujusmodi, qui sibi optimi, ecclesiae parum utiles sunt.

Pariter deberi gratificationem in beneficio, etiam cu-

(a) *Loc. cit. n.* 34.
(b) *Coram Priolo dec.* 13. *n.* 6.
(c) *De Regim. eccles. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 33. *in fin.*

curato, civi, aut originario in concursu cum extraneo, etiam digniore, plurimi tradunt doctores (a), *cum magis diligant ecclesiam, et patriam, ex qua sunt, plus a populo amentur, et facilius inducantur ad residentiam, ac majori attentione, et affectione curam habeant de bonis ecclesiae, quam exteri*, ut animadvertit Fargna (b). *Tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clero, cui est Episcopus ordinandus, nullus dignus poterit reperiri*, ut est in *can. nullus, dist.* 61. in prima parte Decreti. Et perspicuioribus verbis respondit Gregorius Barbaro Episcopo in *can. obitum, ead. dist.* 61.: *commoneamus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de alia eligi permittas ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis nullus (quod evenire non credimus) potuerit inveniri*. Et ita Sacram Congregationem decrevisse quoad beneficia tum simplicia, tum curata refert idem Fargna (c).

Rationem subdit idem canon *nullus*: *Habeat unusquisque* (inquit ipse) *fructum suae militiae in ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit aetatem: in aliena stipendia minime alter obrepat: nec alii debitam alter sibi vindicare audeat mercedem*: nisi extraneus sit magis gratus parochianis (d); eo vel maxime si civis sit parochianis invisus. *Nullus* (inquit idem canon) *invitis detur Episcopus*; ubi tamen Glossa sub verbo *civitatis, litt. B.* intelligere vide-

(a) Ap. Fargnam *loc. cit. cas.* 7. *n.* 4. *et seq.* Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 12. *ad* 14.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Loc. cit. cas.* 7. *n.* 12. *et seq.*
(d) Fargna *loc. cit. cas.* 7. *n.* 3.

detur et dioecesim, eosque appellat de aliena ecclesia, qui diversae dioecesis sunt, et Vivianus (*a*) sub verbo *cive* complectitur dioecesanum, dum ait: *item praeferri debet tamquam dignior dioecesanus, etiamsi exterus praesentatus sit magis idoneus . . . . : civis enim debet praeferri extero . . . . , et beneficia oriundis potius, quam extraneis sunt conferenda*. Et ita sentire videtur Corradus (*b*).

Non obstat, quod in beneficiis dignior eligendus est, quia dignior dicitur relative ad beneficium, seu magis idoneus ad ecclesiam, quae ei confertur, gubernandam, ut antea dixi in capite VII. de beneficiis, verbis S. Conc. Trid. *sess.* 24. *de ref. cap.* 18., cum quis, inspectis omnibus qualitatibus, licet ex. gr. sit inferior quoad scientiam, aptior esse possit ad regendam ecclesiam (*d*). Testatur Vivianus (*c*) Datariam Apostolicam praeferre in beneficiorum collationibus beneficiatum non beneficiato, eamdemque methodum in gratificatione servandam esse doctores docuerunt (*e*). Verum citant pro sua sententia *cap. is cui, de praebend.*; ubi tamen Bonifacius VIII. locutus fuit de secundo beneficio post primum sufficiens, dum decrevit, quod *is, cui conceditur, ut auctoritate Apostolica possit uni* per-

(a) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 12. *ad* 14.
(b) *In prax. benef. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 54.
(c) Fargna *loc. cit. cas.* 7. *n.* 21. *et* 22. . Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* [illegible].
(d) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 31.
(e) Ap. Fargnam *P.* 2. *can.* 9. 10. *et* 11. *cas.* 6. *n.* 12.

personae idoneae in sua, vel alia ecclesia providere, alicui aliud beneficium sufficiens obtinenti providere non potest, nisi primo ille beneficium, quod obtinet, omnino dimittat.

Igitur oportet, ut Episcopus examinet omnes circumstantias. *Contingit autem quandoque* (inquit S. Thomas (*a*)) *aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat, quia alius forte potest ecclesiam magis juvare vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae, vel quia servivit in ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc: non enim potest esse, quod unum praeferat alteri, nisi propter aliquam causam: quae si quidem pertineat ad honorem Dei, et utilitatem ecclesiae, jam quantum ad hoc ille est melior: si autem illa causa ad hoc non pertineat, erit acceptio personarum, quae tanto est gravior, quanto in rebus divinis committitur.* Notanda sunt verba dicti canonis *nullus, dist. 61.* in prima parte Decreti: *habeat unusquisque fructum suae militiae in ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit aetatem:* quibus satis aperte canon innuit gratificationem deberi ei, qui ecclesiae inserviit, in concursu cum altero, qui nullum ecclesiae, in qua vacavit beneficium, servitium praestitit, ut decrevit quoque canon *moramur, ead. distinct. 61.*, et docent Canonistae (*b*), *quia magis diligit ecclesiam, in qua est*

(a) *In suis quaestionibus quodlibetalibus, quodlib. 6. qu. 5. artic. 9.*

(b) Ap. Fargnam *loc. cit. cas. 7. n. 3.*

est nutritus, ut ait S. Thomas (*a*). *Et quidem* (scribit Wan-Espenius in *comment. ad dict. P.* 1. *dist.* 61. (*b*)) *conformiter ad hoc Gratiani probatum assertum etiam hodie in ecclesiis, in quibus penes canonicos, sive capitula salvum hactenus est jus electionis ad episcopatum, et dignitates, eligi non solet, nisi canonicus ejusdem ecclesiae.*

Civis dicitur etiam, qui natus est ex patre cive, licet absente per accidens, puta ob suae professionis exercitium, *quod non tollit veram civilitatem, quoniam natus extra patriam ex causa accidentali absentiae parentum ratione officii, vel professionis, aut mercaturae dicitur verus civis, perinde ac si vere, et proprie in patria natus esset*, ut inquit Cardinalis de Luca (*c*); nisi aliter in testamento, aut fundatione dictum sit, puta si *ex voluntate testatoris, atque spectata substantia suae voluntatis, seu fine per ipsum habito, requisita esset civilitas vera, et naturalis*, ut subjicit idem Cardinalis de Luca (*d*).

Originarius dicitur, qui natus est a patre cive (*e*), licet probabilius sit, ut inquit idem Cardinalis de Luca (*f*), quod originarius etiam dicitur, qui originem habet ab avo cive, si ejus pater extra civitatem per accidens natus sit, *ex regula* (subjicit ipse), *quod absentia occasionalis non tollit, neque interrumqit civilitatem, neque nativitas*

(a) 2. 2. *qu.* 65. *artic.* 2. *ad* 4.
(b) *Tom.* 3. *pag.* 86. *col.* 1. *vers. nonnulla, in fine.*
(c) *De benef. disc.* 62. *n.* 3. *et* 4.
(d) *Loc. cit. n.* 5.
(e) Card. de Luca *de matrim. disc.* 14. *n.* 10.
(f) *De matrim. disc.* 14. *n.* 11.

vitas accidentalis in alio loco tollit, ut quis in propria patria originarie vere natus dici non debeat. Idque comprobat exemplo nobilium Neapolitanorum, qui feuda possident, dum ait (*a*): *atque docet quotidiana praxis nobilium Neapolitanorum feuda possidentium, qui pene pro majori parte nascuntur extra eam civitatem in feudis, ubi nati sunt etiam patres, et avi, et tamen habentur pro veris civibus Neapolitanis quoad omnia, non ex privilegio, vel fictione, sed per veritatem, ac si ibi nati essent; idemque in Genuensibus, aliisque nationibus industriae vacantibus, vel occasione mercaturae.*

Verum quoad beneficia, seclusa peculiari lege fundationis, tum civibus, aut originariis praelationem tribuit, cum paria sunt merita, nempe *data aequali idoneitate*, ut ipse ait (*b*), quod et Rotae decisionibus comprobat, et ita canonicas sanctiones circa civium, aut originariorum praelationes in beneficiis alii doctores accipiunt (*c*), et amplexa est Dataria Apostolica, quae praefert oriundum non oriundo, et dioecesanum non dioecesano, ceteris tamen paribus, ut testatur Vivianus (*d*).

Viros tamen revera doctos, et litteratos utiles esse ecclesiae, ideoque quam maximi ipsius ecclesiae interesse, ut ad praebendas, et dignitates promoveantur, indubitatum est; quia *docti in Dei ecclesia velut splendor fulgent firmamenti*, ut inquit Hono-

(a) *Loc. cit. de matrim. n.* 11.
(b) *De benefic. disc.* 69. *n.* 12.
(c) Ap. Antonell. *de regim. eccl. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 36.
(d) *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 31.

Honorius III. in *cap.* 5. *de Magistris* : *ideo sublimes, ac litteratas personas majoribus esse beneficiis honorandas* definitur *in cap.* 28. *de praebend.*, praesertim cum viri docti, et litterati utiles sint Ecclesiae universali (a). Et praefertur doctus in ea scientia, quae necessaria, aut utilis est ecclesiae, puta Sacrorum Canonum, aut Theologiae juxta diversam ecclesiarum qualitatem (*b*).

Utrum patronus medietatem habens jurispatronatus obtinere debeat gratificationem, et excludere praesentatum a compatrono alteram jurispatronatus medietatem habente, si supplicet Ordinario pro seipso, cum non sit ad beneficium praesentatus, vide Pitonium de *controv. patron. alleg.* 52. *n.* 1. *ad* 13., *et* 14. *ad* 41., et Rotam apud eumdem Pitonium post *dict. allegat.* 52.. Gratificatio autem non solum ab Episcopo concedi potest, verum etiam a Vicario, ut contra alios post Rebuffum docet Corradus (*c*), ea potissima ratione, quam refert idem Corradus, nempe *quia, licet in generali facultate Vicarii non veniat potestas conferendi beneficia, nisi exprimatur, aliud tamen dicendum est de facultate gratificandi, quia non est mera gratia ex eo, quod uni ex praesentatis tenetur Ordinarius gratificare*.

CA-

(a) Vivian. *P.* 2. *lib.* 12. *cap.* 9. *n.* 23.
(b) Vivian. *loc. cit. n.* 24.
(c) *In prax. benef. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 56. *in fine*.

CAPUT XXIII.

De jurepatronatus passivo.

Dicitur quis habere juspatronatus passivum, si passive vocatus sit ad beneficium a fundatore. Verum cum quis diverso modo vocari possit ad beneficium, ideo de varia jurispatronatus passivi specie, deque vario modo, quo quis vocari possit ad commodum beneficii passivum, ut pragmatici loquuntur, opportune, et distincte hic agere existimavi juxta veterem, et modernam disciplinam post novissimum Concordatum, seu Concordati declarationem factam a Supremo Tribunali Mixto Neapolitano, quam infra de verbo ad verbum exscribam pro necessaria fori ecclesiastici intelligentia.

Vocatio ad commodum passivum beneficii, vel *directe*, seu *verbis directis* fit, vel *oblique*, seu *verbis obliquis*. Dicitur fieri *verbis directis*, si in fundatione statuitur, ut quis admittatur ad beneficium, vel ut alicui beneficium conferatur ab Episcopo, puta clericis alicujus familiae, vel aliis verbis, quae directa sint non ad patronos vocatos in jurepatronatus activo, ut praesentent clericum vocatum in jurepatronatus passivo, sed ad ipsos clericos vocatos, vel ad Episcopum, a quo conferri debet beneficium: quae vocationis species dicitur *immediata*. Dicitur fieri *verbis obliquis*, si in fundatione dicitur, ut quis praesentetur ad beneficium a patronis vocatis in jurepatronatus activo: quae vocatio dicitur *mediata*, quia vocati in jure-

jurepatronatus passivo indigent praesentatione patronorum in jurepatronatus activo vocatorum. Quibus tamen onus incumbit praesentandi personas vocatas in jurepatronatus passivo; ita ut extra personas, seu personarum genus vocatum egredi ipsis non liceat, et irrita sit quaecumque praesentatio, quae contra fundationis formam facta sit (*a*). Ideoque passive vocatus ad beneficium verbis sive *directis*, sive *obliquis* postulare potest, et obtinere institutionem ab Ordinario quasi praesentatus ab ipso fundatore, etsi praesentatus non sit: *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset*, ut inquit Bonifacius VIII. in *regula 66. de reg. jur. in VI.*. Est theoria hodie indubitata, et communiter recepta (*b*), ut voluntas fundatoris, etiam ex conjecturis elicita, religiose custodienda sit, desumta ex *l. utrum ff. de reb. dub.* §. *cum quidem*, ubi Cajus ait: *cum quidam pluribus heredibus institutis unius fidei commisisset, ut, cum moreretur, uni ex coheredibus, cui ipse vellet, restitueret eam partem hereditatis, quae ad eum pervenisset, verissimum est utile esse fideicommissum: nec enim in arbitrio ejus, qui rogatus est, positum est, an omnino velit restituere, sed cui potius restituat. Plurimum enim interest, utrum in potestate ejus, quem testator obligari cogitat, faciat, si velit dare, an post necessitatem dandi solum distribuendi liberum arbitrium concedat.* Itaque actus tunc di-

(a) Piton. *alleg.* 85. *n.* 7.

(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 18. *n.* 3. . Piton *alleg.* 17. *n.* 12. . Fargna *P.* 2. *can.* 29. *cas.* 1. *n.* 4.

citur *necessarius* , ut iidem doctores loquuntur . Vocatio enim fundatoris adeo est privilegiata in jure, ut heres, sive alter, qui de alterius mandato, et bonis erectionem facit beneficii, et a doctoribus fundator *mediatus* appellatur ad differentiam principalis fundatoris, qui dicitur *immediatus*, numquam possit pervertere ordinem ab eodem primo, et principali fundatore praescriptum in praejudicium ab eo vocatorum juxta communiter receptam sententiam saepius confirmatam per Rotam, quae a doctoribus dicitur *magistralis* (*a*). Quin et seipsum praesentare potest patronus, si sit unicus patronus jurispatronatus tam activi, quam passivi, *quia praesentatio haec non diceretur habere originem a seipso, sed ab ipsomet fundatore*, ut inquit Fargna (*b*).

Neque ipse fundator post legitime factam beneficii erectionem potest in praejudicium juris quaesiti vocatorum ad passivum juspatronatus adimere, aut mutare juspatronatus (*c*), praesertim si fundatio fiat ab herede de voluntate testatoris, ut fuisse decisum a S. Congregatione refert Pitonius (*d*). Et facta pro familia, seu agnatione in jurepatronatus passivo, nisi sit expresse limitativa, seu restrictiva ad agnatos, ut pragmaticorum verbis utar, in defectum agnatorum extenditur ad cogna-

---

(a) Ap. Card. de Luca *de jurep. disc.* 80. *n.* 3.. Piton. *alleg.* 1. *n.* 65., *et alleg.* 65. *n.* 1. *ad* 8.

(b) *P.* 2. *can.* 29. *cas.* 1. *n.* 4. . Piton. *alleg.* 52. *n.* 35.

(c) Card. de Luca *de jurep. disc.* 16. *n.* 2., *et* 3.

(d) *Alleg.* 62. *n.* 29.

gnatos ex praesumta mente fundatoris, *ne sequatur iniquitas, et extravagantia dispositionis praeferendi extraneos clericis de sanguine*, ut inquit Pitonius (*a*), cum non agatur de jurepatronatus activo, quod, cum deferatur regulis fideicommissi, non extenditur ultra genus vocatum, sed de jurepatronatus passivo, quod indifferens est, et favorabile, nullumque adfert praejudicium sive fundatori, sive patronis. Immo grata erit fundatori retributio concessa consanguineo, seu de ejus sanguine descendenti, cui beneficium datur (*b*), etiamsi consanguineus sit naturalis, nempe conjunctus conjunctione *naturali*, non *civili*, juxta distinctionem, quam supra retuli (*c*): *quia ubi cognatorum exclusio non est expressa, et litteralis, illorum vocatio per posterius semper est admittenda ex praesumta mente fundatricis, quae numquam censeri potest, quod voluerit extraneum praeferri proprio sanguini*, ut ait Rota apud Pitonium (*d*). Et ipse patronus jus dumtaxat activum habens, si nulla aliorum patronorum adsit praesentatio, potest per se, vel per procuratorem a se deputatum supplicare Episcopo, ut sibi beneficium conferat, ejusque animum movere, non quidem ex debito, sed ex gratificatione, ita ut Episcopus beneficium conferat non ex precibus, sed ex praesumta mente fundatoris (*e*).

(a) *Alleg.* 75. *n.* 26.
(b) Piton. *alleg.* 15. *n.* 4. *ad* 7. . Fargna *P.* 2. *can* 1. *et* 2. *cas.* 10. *n.* 11.
(c) Piton. *discept. eccles.* 53. *n.* 38. *ad* 41.
(d) *Post alleg.* 75. *n.* 26.
(e) Fargna *P.* 2. *can.* 29. *cas.* 2. *n.* 2. *et* 3., *et can.* 9. 10. 11. *cas.* 8. *n.* 8.

Hinc patet differentia inter vocationem passivam agnatorum, pro qua lata fit interpretatio, et vocationem passivam extraneorum, quae stricte accipienda est, cum dubitari nequeat, quin vocatio passiva sit gravamen jurispatronatus: ideo non praesumitur, nisi aperte fundatione probetur, et ubi dubia sit fundatio circa vocationem passivam, stricta fit semper interpretatio (*a*). Hinc reservato jurepatronatus passivo a fundatore non habente consanguineos alteri familiae extraneae, neque ad cognatos in defectum agnatorum, neque de altero casu ad alterum fit extensio (*b*). Ubi vero fundatio clara sit, et certa, et dubitetur de sola fundationis qualitate, juspatronatus passivum recipit interpretationem ab activo: sicut in dubia qualitate jurispatronatus activi juspatronatus activum recipit interpretationem a passivo, ne alterum ab altero discordare videatur, ut saepius Rota definivit (*c*).

Alteram distinctionem inter vocationem consanguineorum, et vocationem extraneorum refert Pitonius (*d*), pluribusque Rotae decisionibus comprobare conatur, nempe quod verba *facultativa*, aut *precatoria*, quae de jure per *l. omne verbum* 2. *cod. communia de leg.*, *per l. etiam hoc modo* 115. *ff. de leg.* 1., *et per l. unum ex familia ff. de leg.* 2. §. *ult.* inducunt necessitatem, non arbitrium, resolvuntur in praeceptum quoad consanguineos, non

(a) Piton. *alleg.* 75. *n.* 11., *alleg.* 83. *n.* 2., *et* 3.
(b) Piton. *alleg.* 75. *n.* 11.
(c) Ap. Piton. *alleg.* 83. *n.* 3. *in fin. et* 5. *ad* 10.
(d) *Alleg.* 80. *n.* 23.

non quoad extraneos. Inspectis vero legibus citatis, ubi ejus opinio, ac Rotae decisiones ab ipso allatae innitantur, non video. Leges namque praedictae indistincte de quacumque dispositione facultativa, aut deprecatoria loquentes, dummodo fiat per actum ultimae voluntatis, dicunt hujusmodi verba *pro fideicommisso accipienda*. Notanda praesertim sunt verba textus in *dict. l. etiam hoc modo ff. de leg.* 1., ubi Ulpianus ait: *etiam hoc modo, cupio des, opto des, credo te daturum, fideicommissum est*: et in *dict. l. unum ex familia* 63. *ff. de leg.* 2. §. *ult.*, ubi Papinianus ait: *Item Marcus Imperator rescripsit, verba, quibus testator ita caverat, non dubitare se, quodcumque uxor ejus cepisset, liberis suis redditturam, pro fideicommisso accipienda*.

Hinc communiter doctores docent dispositionem hujusmodi esse praeceptivam, unica tamen facta distinctione, nempe si fiat per actum ultimae voluntatis, non per actum inter vivos (*a*); eo vel maxime, si testator statim suam mentem declaraverit per verba praeceptiva (*b*). Etenim *si omissa* (inquit idem Papinianus in *dict. l. unum ex familia* §. *penult.*) *fideicommissi verba sunt, et cetera, quae leguntur, cum his, quae scribi debuerant, congruant, recte datum, et minus scriptum exemplo institutionis, legatorumque intelligetur: quam sententiam optimus quoque Imperator noster Severus secutus est*.

 Subji-

(a) Card. de Luca *de jurep. disc.* 50. *n.* 4. *et* 5., *de fideicom. disc.* 57. *n.* 25.. Piton. *alleg.* 85. *n.* 10.
(b) Card. de Luca *de jurep. disc.* 29. *n.* 11.

Subjicit vero Pitonius (*a*) hujusmodi facultativum, aut precatorium loquendi modum intelligendum esse juxta mentem fundatoris, *ideoque rimanda est mens fundatoris, juxta quam verba operantur, suamque interpretationem recipiunt*, ut inquit ipse. Qui idem valere docet in actis inter vivos, si de mente constet fundatoris, ut verbis facultativis, precatoriis, aut hortatoriis inducere voluerit praeceptum, et obligationem (*b*). Et ita censuit Rota apud eumdem Pitonium (*c*), *quoniam resolutio isthaec in praeceptum non sequitur ex vi intrinseca sonitus, et importantiae verborum, sed ex praesumta voluntate testatoris*, ut ipse ait.

Ego distinguerem simplex testamentum, aut legatum a fideicommisso. In simplici testamento, aut legato ultro admitto inspiciendam esse potissimum mentem testatoris. Nam *quibuscumque verbis testamento quid relictum sit, relictum valere, dummodo intelligatur, quid senserit testator*, recte docuit Donellus *in cod. ad dict. l. omne verbum, lib. 6. tit.* 43. *communia de legatis, et fideicom. tom.* 2. *pag.* 658. *Legare* (inquit idem Donellus *ad l. quoniam, cod. lib. 6. tit.* 23. *qui testam. et quemadm. n. 6. pag.* 536.), *auctore Ulpiano in fragmentis de legatis, est relinquere legis modo, idest imperative. Sed recte Imperatores posteriores judicaverunt ineptum esse verbis inhaerere, cum sententia testatoris constat: et ideo fere in omnibus speciebus negotiorum solemnitatem*

(a) *Alleg.* 80. *n.* 23.
(b) *Alleg.* 83. *n.* 8. *in fin.*. Card. de Luca *de jurep. disc.* 50. *n.* 8. *in fine*.
(c) *Post alleg.* 30. *n.* 42.

tatem verborum repudiarunt, satis habentes, si quibuscumque verbis constet, quid scriptor, quid testator, quid contrahentes scripserint. In fideicommisso autem verba precatoria semper inducere obligationem existimo, nisi constet de contraria mente testatoris: quia verba fideicommissaria *non imperant sed petunt, et rogant, ut quis fideicommissum restituat . . . . . . Unde fideicommissi verba dicuntur precaria, qua ratione directa institutio opponitur precariae,* ut recte animadvertit ipse Donellus ad *dict. l. quoniam, loc. cit. n. 4.*

Praeterea plurimum refert distinguere vocationem *verbis directis* factam a vocatione facta *verbis obliquis*. Nam primo modo facta vocatio requirit qualitatem, seu statum clericatus, quem non requirit vocatio facta verbis obliquis, cum, verbis directis facta vocatione, non possit vocatus institui ad beneficium, ad quod fuit vocatus, sine praesentatione, nisi sit clericus; sicut, facta verbis obliquis, potest praesentari etiam in statu laico, modo clericus fiat in termino a jure praescripto (*a*), vel post institutionem juxta novissimum Concordatum, si litteras testimoniales idoneitatis tam quoad scientiam, quam quoad mores ante institutionem obtinuerit, ut supra dixi.

Et ad dictum novissimum Concordatum quod attinet, notandum etiam est, passive vocatum ad beneficium dici arctatum ad ordines ecclesiasticos, si annui proventus beneficii medietatem saltem attingant fructuum patrimonii sacri juxta taxam sy-

(1) Card. de Luca *de jurep. disc.* 45. *n.* 7. *et* 8. Piton. *alleg.* 35. *n.* 5. *ad* 6.

nodalem, etiam nondum praestito ecclesiae servitio triennali, ut patet ex *cap.* 4. *art.* 25. dicti novissimi Concordati. Ibi praeterea praescribitur, ut nemo possit ad ordines promoveri, nisi titulo beneficii, cujus proventus medietatem fructuum patrimonii sacri attigant, aut integri patrimonii ante clericalem tonsuram constituendi.

Arctatus autem quoad ordines juxta hodiernam disciplinam dicitur non solum qui passive vocatus est ad beneficium, ut inquit Concordatum *loc. cit.*, verum etiam qui, licet passive non sit vocatus ad beneficium, est tamen de sanguine, et parentela patronorum, a quibus praesentatus fuit juxta recentem declarationem Supremi Tribunalis Mixti Neapolitani factam die 23. mensis Augusti anni 1753., cujus verba refert hic exscribere pro necessaria fori ecclesiastici intelligentia. *Si è appuntato* (sunt verba dictae declarationis, seu *appuntamenti*, ut vulgo appellatur), *che siccome sull' interpretazione della vera artazione molti Canonisti sull' esposizione del cap* 10. *della sess.* 7. *de ref. del Concilio Tridentino han sostenuto, che si debba intendere artato colui, ch' è presentato a qualche beneficio, che richiede in se l' ordine, così debba darsi la vera intelligenza al Concordato, le di cui parole anche abbracciano il senso della presentazione, o sia il juspatronato attivo, e che non debba restringersi solamente a colui, che ha la chiamata passiva al beneficio: che questo debba intendersi per quella presentazione, che nasce dal jus attivo di qualunque sorta di patronato, o sia familiare, o sia gentilizio, o sia ereditario; coll' espressa limitazione però, che il presentato debba essere del sangue, e della parentela del presentante, e non già estraneo, nel quale caso non debba in-*

tendersi l' artazione prescritta dal Concordato per la dispensa de' requisiti agli ordini. Tutto ciò anche si è stimato di appuntarsi per motivo di congruenza, non ridondando al pubblico bene, che essendovi un ordinando del sangue del presentante, il quale non si trova di avere i requisiti del Concordato, debba essere dal beneficio escluso, e sia astretto perciò il compatrono nominare, e presentare un' estraneo.

Nota illa verba *per la dispensa de' requisiti agli ordini*, quae explicant necessariam Ordinarii institutionem, non necessariam patronorum praesentationem, nisi in eo sensu, ut pro institutione necessaria sit praesentatio. Nam patroni numquam necessario tenentur praesentare, nisi cum arctatio, seu vocatio passiva fuerit praescripta a fundatore. Igitur declaratio Tribunalis Mixti afficit Ordinarium, ut teneatur instituere praesentatum a patronis uti arctatum quoad ordines suscipiendos, si sit de ipsorum patronorum sanguine et parentela, non patronos, ut teneantur praesentare clericos de sanguine, cum passive a fundatore vocati non sint ad beneficium.

CAPUT XXIV.

De Institutione.

INstitutio praesentati, quam alii *investituram* appellant, fit ab Ordinario, vel a Metropolitano, si ad judicem superiorem in gradu appellationis causa deferatur, ut definitur in Clementina *auditor, de rescript.*, non autem a judice delegato, si causa delegata sit. Nam judex delegatus, lata sen-

ten-

tentia, tenetur remittere ad Ordinarium institutionem ejus, pro quo sententia lata fuerit, ut definitur in *cap. super eo, de offic. deleg.* Vide Pitonium *de controvers. patron. alleg.* 22. *n.* 34.

Sicut ad judicem ecclesiasticum pertinet institutio, ita et ad judicem ecclesiasticum pertinet judicare causas jurispatronatus. *Causa vero jurispatronatus* (inquit Alexander III. in *cap. quanto, de judic.*) *ita conjuncta est, et connexa spiritualibus causis, ut nonnisi ecclesiastico judicio valeat definiri.* Verum num juspatronatus reale sit, feudale, aut hereditarium, inspici debet ab eo judice, ad quem spectat cognoscere dictam qualitatem, ut definitur in *cap.* 6. *art.* 4. Concordati, ubi dicitur: *Così pure saranno di privativa giurisdizione ecclesiastica le cause beneficiali, purchè non si tratti di juspatronati regj, o feudali, per quelle sole cause, la decisione delle quali principalmente dipende dal vedere, se il patronato sta annesso, o no al feudo, o sia* de universitate bonorum *negli altri patronati laicali*: ita ut judicium latum super universitate bonorum, aut super qualitate reali, vel feudali *accessionis vice*, ut verbis utar Justiniani §. 26. *inst. tit. de rer. divis.* valeat etiam quoad juspatronatus (a).

Neque aliud constat ex *cap. significavit, de test. et attest.*, quo Judici Sabinensi facultas concessa fuit judicandi qualitatem fundationis cujusdam ecclesiae, num scilicet ecclesia libera esset, an juripatronatus subjecta. Nam admissa etiam qualitate laica judicis, quae a textu non constat, et a pluribus doctoribus negatur, ipse in ea causa judica-

(1) Fargna *P.* 2. *can.* 22. 23. 24. *cas.* 1. *n.* 4., et 5.

dicavit jure delegato, seu ex speciali delegatione S. Sedis, non jure ordinario, ut nonnulli docent (*a*). *Sed quorsum haec tendunt* (inquit Gonzalez (*b*)), *cum vera illius textus interpretatio proveniat ex notitia, seu historia ecclesiae Sabinensis, quam refert Ughellius tom.* 1. *Italiae Sacrae. Asserit enim Episcopum ecclesiae Sabinensis plerumque Cardinalitia dignitate decorari; unde cum ratione tituli sui Cardinalatus Romae resideat, ibi proponit, constituitque judicem Vicarium, qui de causis ecclesiasticis cognoscat: quare cum ecclesiasticus judex sit, potest cognoscere de causa jurispatronatus.* Et de eadem dioecesi Sabinensi loquens Cujacius in *comment. ad cap. significavit, n.* 41. *de test. et attest.* (*c*) ait, quod *illius dioeceseos Episcopus non discedit a latere Pontificis Romani, discedit semper ab ecclesia sua, cui tamen ad eam rem quasi Vicarium praeficit, quem vocant Vicedominum.*

Judicium in causis beneficialibus de jure est summarium. Verum si controversia sit sive inter praesentatos super institutione, sive inter patronos super jurispatronatus pertinentia, ut doctores loquuntur, fit ordinarium, et proceditur prout in omnibus aliis judiciis ordinariis. Et ita praxis obtinet, nisi controversia sit super manutentione ad finem obtinendi institutionem, servata forma *cap. consultationibus, de jurepatronatus*, in qua etiam existente controversia, semper summarie pro-

(a) Ap. Gonzalez *in dict. cap. quanto, de judic. tom.* 2. *n.* 9. Fargna *loc. cit. cas.* 1. *n.* 5.
(b) *Loc. cit.*
(c) *Tom.* 6.

proceditur juxta naturam judicii manutentionis : sententia vero fertur juxta diversam causarum , et jurispatronatus qualitatem . Quod maximopere animadvertendum , ne, cum solius institutionis judicium feratur , praejudicium inferatur patronis quoad pertinentiam , seu proprietatem jurispatronatus.

Itaque si nonnulli praesentaverint , qui nullum jus in jurepatronatus habuerint , praxis obtinet decernendi: *Juspatronatus spectavisse , et spectare ad A. , rejecta praesentatione facta a B. , tamquam a non legitimo patrono facta , uti extraneo a familia, vel descendentia fundatoris , vel non habente hereditariam qualitatem a fundatore requisitam* (juxta diversam naturam , puta agnatitiam , gentilitiam , hereditariam jurispatronatus , de qua supra satis superque egi) : *ac proinde clericum C. ab ipso A. tanquam legitimo patrono , et jus habente tempore habili praesentatum, fore et esse admittendum, prout admittimus, et instituimus cum juribus, honoribus, praerogativis, et oneribus quibuscumque ; et signanter cum onere etc.* (hic exprimitur onus peculiare in fundatione appositum , puta celebrationis missarum , aut aliud onus), *bullasque ad ejus favorem fore et esse expediendas , mandatumque de immittendo in possessionem, omneque aliud opportunum , et necessarium fore, et esse relaxandum, prout expediri, et relaxari mandamus , victum victori* , vel *neutram partem ad expensas condemnando* .

Sed si praesentatio facta sit a legitimis patronis, licet institutio alterius praesentati ab eis non sequatur ob qualitatem vocis vel minoris , vel diminutae ob alterius vocem pinguiorem , vel suffocatae ab altera voce majore , semper deciditur per-

pertinentia. Unde praxis fluit decernendi: *Juspatronatus spectavisse, et spectare ad A. B. etc.* (et enunciantur omnes patroni, ad quos juspatronatus spectat, licet praesentatus ab eis ob aliam causam institutionem non obtineat): *verum fore, & esse instituendum clericum C. praesentatum ab P. uti majora suffragia*, vel *vocem pinguiorem*, vel *vocem majorem habentem etc.*

Et si praesentati sint in paritate vocum, dicitur: *Juspatronatus. spectavisse, et spectare ad A. et B. pro aequalibus votis, ac proinde clericum D. praesentatum a B. esse in paritate vocum: verum fore, et esse gratificandum, et instituendum clericum C. uti consanguineum fundatoris*, vel *uti digniorem*, vel alia peculiari caussa expressa, ob quam gratificatio ad ipsum pertineat. Expedit enim exprimere jus omnium patronorum pro futuris vacationibus, ne eorum jus laedatur, praesertim cum admissio praesentationis constituat praesentantem in quasi-possessione praesentandi, ita ut in alia vacatione competat ei manutentio, ut dixi in capite IV. hujus Partis. Ideo in praxi, nulla existente controversia inter praesentantes super pertinentia jurispatronatus familiaris, aut gentilitii, ego legitimorum dumtaxat patronorum praesentationem admisi, ac institutionem praesentato decrevi cum clausula: *salva provisione facienda super jure aliorum praesentantium, partibus plenius auditis*; ne ullum etiam *in possessorio* legitimis successoribus praejudicium inferrem.

CA-

CAPUT XXV.

De juribus patronorum, et benefactorum honorificis.

HOnor, qui patrono debetur, definitur a Francisco de Roye (*a*), *cultus, et reverentia, quae viris eximiis habetur in ecclesia propter singularem eorum beneficentiam, et potestatem*. Debentur autem honores indistincte omnibus patronis, etiam laicis, et mulieribus, cum et ipsae sint capaces jurispatronatus, ut supra dixi, sive ex propria persona, si juspatronatus sit proprium, sive ex persona suorum virorum, si virorum sit, ut docent Canonistae (*b*). Mulieres namque, constante matrimonio, iisdem, quibus viri fruuntur, privilegiis, honoribus, et dignitatibus frui dixit Ulpianus in *l.* 8. *ff. de senat.*, et sanxerunt Impp. Valentinianus, Theodosius, et Arcadius in *l.* 13. *cod. de dignit.*: jus vero processionis uxores non habent, nisi post viros (*c*). Debentur quoque patroni liberis (*d*), et patronis indistincte, sive laicis, sive ecclesiasticis; etiamsi fundator in fundatione jus praesentationis remiserit, aut donaverit. Per hujusmodi enim remissionem, aut donationem jura

(a) *De jur. honorific. lib.* 1. *cap.* 1. *in princ.*
(b) Ap. de Roye *lib.* 2. *cap.* 4.
(c) De Roye *loc. cit. cap.* 14. *in fine*.
(d) Wan-Espen *Tom.* 3. *part.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *cap.* 7. *n.* 37.

ra honorifica remissa, aut amissa non censeri docent Canonistae (*a*): sicut jure civili in *l.* 3. *cod. de bonis libert.*, et in *novel.* 78. *cap.* 2. per remissionem, seu amissionem jurispatronatus remissa, aut amissa non censetur reverentia debita patrono. Quamobrem docent Canonistae ex *cap.* 25. *de jurep.* processionem, et alimenta competere patrono, etiamsi jus praesentationis non habeat (*b*).

Patronis, inquam, etiam ecclesiasticis, ut respondit Alexander III. in *cap.* 3. *de eccles. aedific.*, *vel reparand.*; quia jura hujusmodi honorifica debentur causa pietatis, et munificentiae, ut inquit de Roye (*c*), quae in patronis laicis aeque, ac ecclesiasticis concurrit: dummodo (docet Wan-Espenius in *addit.* (*d*)) sint veri patroni titulo fundationis, aut dotationis, non titulo incorporationis, quo juspatronatus a nonnullis capitulis, et monasteriis possideri dixi in capite II. hujus Partis.

Et quidem tam fundatori, quam patronis debentur, etiamsi de gente sint plebeja, seu ignobiles, cum ecclesia aequo jure nobilibus, ac ignobilibus de accepto beneficio gratias referat, ut inquit de Roye (*e*): licet in praxi tam quoad personas,

(a) Ap. de Roye *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 3. §. *denique omne*.

(b) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 33.

(c) *Lib.* 1. *cap.* 1. *in princ.*, *et lib.* 2. *cap.* 3. *in princ.*

(d) *Loc. cit. cap.* 7. *n.* 31. §. *cum igitur*.

(e) *Loc. cit. lib.* 2. *cap.* 3. §. *denique omnes*, *et cap.* 11.

sonas, quam quoad modum exhibendi hujusmodi honores plurimum deferatur consuetudini, ut testatur Wan-Espenius (*a*). Itaque honorem processionis patrono plebejo in praxi non exhiberi infra dicam.

Et tam quoad personas, quam quoad modum distinguere fas est alterum juspatronatus ab altero. Nam si juspatronatus sit reale, debentur soli rei domino, seu possessori, et jure dominii ejusdem rei, cui adnexum est (*b*). Quod si ipsius rei venditione in emtorem tranferatur, jus tribuit emtori ponendi suam listram in ecclesia, et tollendi listram prioris patroni, seu prioris aut antiqui senioris, juxta phrasim Canonistarum (*c*), ut superius dixi in capite III. hujus Partis, ubi de amissione jurispatronatus per venditionem egi. Si juspatronatus sit personale, omnibus personis debentur, sed jure fere singulari, adeo ut una sit omnium sedes, sepultura, aut listra, si plures ex. gr. de gente, aut familia sint vocati, cum, si uni tantum de familia juspatronatus reservatum fuerit, ipsi tantum uti unico et legitimo patrono jura honorifica debeantur (*d*).

Jura honorifica dividuntur in majora, et minora. Majora sunt praesentatio, de qua egi, processio, listrae, thus, preces, sepultura, sedes in choro, denique alimenta. Minora sunt panis benedictus, osculum pacis, aqua benedicta, sedes, si

(a) *Loc. cit. cap.* 3. *n.* 39.
(b) De Roye *loc. cit. cap.* 12.
(c) De Roye *loc. cit. cap.* 3.
(d) De Roye *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 12. §. 1. *et* 2.

si sit extra chorum, inter quae ab aliis recensetur etiam sepultura. Usitatiores tamen sunt honores processionis, thuris, precum, sedis, sepulturae, aquae benedictae, panis benedicti (*a*).

Honor processionis significat jus patrono debitum, ut *processionaliter* recipiatur, dum accedit ad ecclesiam, et in processione primum locum habeat, post tamen clericos (*b*), *si talis, et tantus sit*, ut ait Cardinalis Hostinensis (*c*): *hoc est, qui mereatur tantum honorem juxta expressionem Pontificalis Romani, puta si Rex sit, aut Princeps magnae potentiae, juxta expressionem Pontificalis Romani*, ait Wan-Espenius (*d*).

Honor listrae hodie est habere in ecclesia insignia, seu *arma*, etiam depicta, si patroni laici sint (*e*), qui jure communi in *l.* 2. *et ult. ff. de oper. pub.* debetur quoque aedificanti opus publicum, cui jus quoque est sui nominis titulum scribere. Patronis vero ecclesiasticis licet insignia, seu arma affigere, non autem depingere (*f*).

Honor thuris, qui *suffitus* quoque dicitur, complectitur jus patrono debitum, ut *specialiter illi thurificatio*, ut scribunt doctores, exhibeatur in ecclesia in eminentiae, aut benevolentiae signum (*g*).

Honor precum est, ut patronus speciali jure, et expresso nomine in precibus publicis commendetur, quod olim fiebat inter sacra mysteria ex di-

(a) Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 4.

(b) De Roye *lib.* 1. *cap.* 6. §. *ult.*, *et lib.* 2. *cap.* 14. §. *ult.* Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 8. 9. 10. *et* 38.

(c) *Ad cap.* 25. *de jurep.*

(d) *Loc. cit. cap.* 7. *n.* 9.

(e) De Roye *lib.* 1. *cap.* 7. *et lib.* 2. *cap.* 3.

(f) De Roye *lib.* 2. *cap.* 3. §. *rectissime etiam observant.*

(g) De Roye *lib.* 1. *cap.* 5. Wan Espen. *loc. cit. n.* 11.

diptychis, de quibus egi in capite VII. de beneficiis, in fine (*a*).

Honor sepulturae a jure precum absimilis non est, cum et patronis defunctis preces debeantur, quorum nomina olim ex diptychis etiam ecclesiasticis legebantur, ut patet praesertim ex *can.* 19. Concilii Emeritensis, ubi dicitur: *quod si ab hac luce decesserint, nomina eorum cum fidelibus defunctis recitentur in suo ordine* (*b*): licet sub honore sedis sepulturam contineri alii dicant; nam significat locum sepulturae in ecclesia honorabiliorem.

Honor sedis dat patrono sedem in ecclesia pariter honorabiliorem (*c*) sive in choro, in presbyterio, et cancello, qui *major* dicitur, sive extra chorum, presbyterium, cancellum, qui appellatur *minor* (*d*).

Honor alimentorum inter potiora jura patronorum honorifica recensentur: ideo juspatronatus dicitur jus utile (*e*). Tenetur igitur ecclesia patronata alere fundatorem, vel patronum pauperem, licet patronus non sit consanguineus fundatoris, ex communi, et recepta Canonistarum sententia, quam amplexa est Rota (*f*) innixa juris sanctioni in *cap. nobis*, *de jurep.*, et Concilio Toletano IV. *can.* 37., ubi Concilium ait: *quicumque fidelium devotione propria de facultatibus suis ecclesiae aliquod contulerint, si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint*

(a) De Roye *lib.* 1. *cap.* 6. Wan-Espen *loc. cit. cap.* 7. *n.* 21. *ad* 26.

(b) De Roye *lib.* 1. *cap.* 6. §. *illi omnes*.

(c) De Roye *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 10. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 26.

(d) De Roye *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 12.

(e) Rota ap. Piton. *alleg.* 44. *n.* 60.

(f) Ap. Fagnam *P.* 1. *can.* 3. *cas.* 3. *n.* 5.

rint ad inopiam, *ab eadem ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant*. Quemadmodum enim filius debet alere patrem; ita ecclesia patronata debet praestare alimenta tam fundatori, qui uti ecclesiae dotator dicitur pater, quam patronis, tum ex aequitate, seu jure naturali *antidorali* fundatori, et patronis debita, tum maxime ex pietate ecclesiae (*a*).

In qua alimentorum praestatione ratio habenda est proventuum beneficii, gradus, et conditionis patroni, consuetudinis Regionis, ac numeri personarum, quibus praestanda sunt, nempe totius familiae patroni, puta matris, sororum, uxoris, filiorum, et famulorum, et quidem in domo propria patroni, ut definivit Rota apud Pitonium (*b*); quin et puellarum de eadem familia in monasterio existentium, quarum alimenta complectuntur etiam vestes, dotem, et livellum, ut censuit eadem Rota apud Pitonium (*c*), et tradiderunt doctores (*d*). Imo ipsa bona ecclesiae pro alimentis assignari docuit Lambertinus (*e*), et definivit Rota apud Pitonium (*f*). Cumque dicta alimenta debeantur non modo jure naturali *antidorali*, seu *remuneratorio*, ut pragmatici loquuntur, verum etiam obligatione ex canone, seu per condictionem ex lege, et jura de hujusmodi alimentis loquentia non referantur ad judicem, prout in ceteris alimentis: ideo juxta opinionem, quam doctores ve-

V 2

(a) Piton. *alleg.* 44. *n.* 1. 14. *et seq.*. Fargna *P.* 1. *can.*3 *cas.*3. *n.*5.. Card. de Luca *de benefic. disc.*37. *n.* 15.
(b) *Post alleg.* 44. *n.* 91.
(c) *Loc. cit. n.* 92. *et* 93.
(d) Ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 3. *cas.* 4. *n.* 17. *ad* 19.
(e) *De jurep. lib.* 3. *qu.* 3. *artic.* 10. *n.* 2. *in fin.*
(f) *Loc. cit. n.* 97. *in fin.*

veriorem appellant (*a*), etiam sine judicis officio tenetur beneficiatus patrono ea subministrare. *Nec obstat* (optime ad rem animadvertit Lambertinus (*b*)), *quod dicitur per Roffredum*, *hoc esse durum ecclesiae*, *quia*, *ut in secundo*, *et tertio articulo supra diximus*, *ecclesia dat de his*, *quae sibi supersunt*, *et in quantum sibi superest*, *quod omnino dandum esset pauperibus*, *ut diximus in secundo articulo*, *magis ordinata charitas est*, *quod detur patrono*, *uxori*, *filiis*, *et servitoribus*, *quam aliis pauperibus*, *qui id ab alio quaerere potuerunt* : et ei consonant alii doctores (*c*). Ideo Rota apud eumdem Pitonium (*d*) vocat dicta alimenta fundatori, et patronis debita *fructus inseparabiles*, *et inabdicabiles ab ipso jurepatronatus*.

Verumtamen quod de obligatione praestationis alimentorum dixi, accipiendum est cum conditione, si quatuor concurrant, nempe 1. superfluitas proventuum beneficii, deductis omnibus necessariis tam pro beneficio, seu ecclesia, quam pro beneficiato: 2. paupertas patroni, modo ex sua culpa non processerit: 3. necessitas praecise vivendi proventibus beneficii, utpute quia alium modum, aut alia bona, unde vivere possit, non habeat: 4. denique Episcopi consensus, ad quem pertinet cognoscere, et judicare paupertatem patroni, et collusionem, quae intercedere potest inter beneficiatum, et patronum. Concurrentibus vero dictis circumstantiis multi Canonistae docent, et Rota judicavit (*e*), patronum in alimentis praeferri ipsi pensionario; adeo ut inter onera beneficii quoad ali-

---

(a) Ap. Piton. *alleg*. 44. *n*. 46. Fargna *P*. 1. *can*. 3. *cas*. 1. *n*. 3.
(b) *De jurep. lib*. 3. *qu*. 3. *art*. 6. *n*. 3.
(c) Ap. Piton. *alleg*. 44. *n*. 20.
(d) *Alleg*. 44. *n*. 81.
(e) Ap. Piton. *alleg*. 44. *n*. 47.

alimenta patrono debita deduci non debeat pensio alteri debita super eodem beneficio, quia obligatio praestandi hujusmodi alimenta orta cum ipsa fundatione, ipsique fundationi insita, anterior est pensione. Ideo non obstante pensione competit patrono, et eo magis fundatori, actio petendi alimenta, et quidem eadem via executiva, quae obtinet in praestatione aliorum alimentorum praesentium, aut futurorum causa miserationis, quia venter non patitur dilationem, ut docent communiter doctores (*a*).

Num idem obtineat, si fructus beneficii oneri alimentorum impares sint, sed beneficiatus bona habeat, unde vivat, quaerunt doctores (*b*). Et distinguunt bona patrimonialia a bonis ecclesiasticis. Nam si bona tantum patrimonialia habeat, alimenta non deberi dicunt, nisi deductis necessariis ad victum beneficiati, quia nemo tenetur stipendiis suis militare: cum vero alia bona ecclesiastica habeat, alimenta deberi dicunt, cum possit vivere bonis pariter ecclesiasticis.

Honor panis benedicti complectitur antiquam eulogiam, seu oblationem, aut receptionem panis benedicti, quae pertinet ad patronum ante omnes alios (*c*). Eulogiae erant particulae panis solemnibus precibus in diaconica mensa benedicti, quae olim in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali ex pane azymo, deinde etiam ex fermentato, qui offerebatur pro consecratione, ut patet ex *can.* 9. Concilii Nannatensis, conficiebantur, et reservata pro consecratione ea parte, quae consecratio-

 ni

(a) Ap. Card. de Luca *de dote*, *disc.* 59. *n.* 14.
(b) Ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 3. *cas.* 2.
(c) De Roye *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 12.

ni necessaria erat, reliqua pars distribuebatur fidelibus, qui Sacram Eucharistiam non recipiebant, tamquam tessera, seu in signum fraternae unionis, et tempore Paschali dabatur etiam Cathecumenis, quod postea vetitum fuit a Concilio Carthaginensi III. *can.* 5. Unde manat usus, qui in nonnullis hodie viget ecclesiis, distribuendi populo panem benedictum, licet a populo non oblatum ecclesiis, ut antea fiebat, *quem in locum eulogiam successisse omnes agnoscunt*, ut inquit Wan-Espenius (*a*). Vide Cabassutium in *Notitia ecclesiastica saeculi secundi dissert.* 11. In hujusmodi panis sive oblatione, sive receptione priorem locum habet patronus, quod proinde jus honorificum dicitur, seu honor panis benedicti.

Pro osculo pacis intelligitur honor, qui patrono competit, recipiendi solitam tabulam cum Christi, aut Sanctorum imagine, ut eam osculetur, seu *praelatio suscipiendi pacem in ecclesia*, ut inquit de Roye (*b*).

Denique pro aqua benedicta intelligitur honor recipiendi seorsum, et ante omnes laicos aquam ex aspersorio, de manu tamen sacerdotis, quia nempe sacerdos debet ante alios patronum aspergere (*c*).

Benefactoribus quoque aliqui honores debentur, puta jus processionis, oblationis, panis benedicti, sedis, sepulturae (*d*). Pro benefactoribus autem intelligi, quos constat multum dedisse ecclesiae, puta salvam faciendo ejus causam, si ex. gr. ecclesiam construxerint, aut collapsam reaedificaverint,

---

(a) *Tom.* 2. *part.* 2. *sect.* 1. *tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 4.

(b) *Loc. cit. lib.* 1. *cap.* 13.

(c) De Roye *loc. cit. lib.* 1. *cap.* 13. Wan-Espen. *loc. cit. cap.* 7. *n.* 14. *ad* 21.

(d) De Roye *loc. cit. lib.* 2. *cap.* 7.

rint, aut ditaverint, docet de Roye (*a*). Zypoeus vero (*b*) loquens de eo, *qui vilem tantum aream dederit, et nihil de suo aliud in dotem, vel structuram contulerit*, ait: *benefactor quidem dici potest, et honor aliquis sessionis, processionis, sepulturae &c. ex arbitrio Episcopi ei deferendus.*

C A P U T XXVI.

De renunciatione, seu dimissione beneficii jurispatronatus.

SIcut beneficium de manu Episcopi recipitur praevia institutione, ita dimitti, et renunciari nequit, nisi in manu ejusdem Episcopi, ut aperte definitur in *can. Gonsaldus, caus.* 17. *qu.* 2: ubi Glossa *verb. refutavit*, notat: *sed si renunciasset in manu Praelati sui, teneret renunciatio*; et in *cap.* 4. *et* 8. *de renunc.*. Et facta in manu patroni laici renunciatio irrita est, ut definitur in *eod. cap.* 8. *de renunc.*, ubi dicitur, *ut resignatio talium* (idest beneficiorum) *facta laico nullam obtineat firmitatem*; et communiter docent Canonistae (*c*): nisi renunciatio sit beneficii, a cujus possessione beneficiatus expulsus fuit per sententiam judicis, quae transiit in rem judicatam, ut definivit Rota (*d*). Cujus quidem canonicae sanctionis paritatem sumit de Roye (*e*) ex matrimonio. Sicut enim in matrimonio carnali divortium fieri nequit, nisi auctoritate ecclesiae, seu Episcopi: ita in matrimonio spirituali clerici cum ecclesia fieri nequit

V 4 di-

(a) *Loc. cit. lib* 2. *cap.* 7.
(b) *Resp.* 3. *de jurep. n.* 9. Wan Espen. *loc. cit. cap.* 3. *n.* 10.
(c) Ap. Fargnam *P.* 1. *can.* 5. *cas.* 5. *n.* 5.
(d) Ap. Piton. *in supplem. ad alleg.* 100. *n.* 83.
(e) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 31.

divortium sine auctoritate Episcopi. *Sicut enim* (inquit Franciscus Florens ad *dict. cap.* 8. *de renunc. tom.* 1. *pag.* 252.) *in collatione beneficii praeter patroni consensum, et nominationem requiritur Episcopi, vel Praelati auctoritas, et institutio . . ., multo magis idem dicendum in cessione, et renunciatione.*

Num vero ita in manu laici renuncians privetur beneficio renunciato, quaerunt interpretes. *Breviter respondemus* (inquit idem Florens *loc. cit.*) *non privari . . . In dicto vero cap.* 8. *ideo renuncians privatur beneficio, quia post renunciationem laico factam iterum a laico illud susceperat. Canones autem eos maxime detestantur, qui spreta, seu contemta Episcoporum, et aliorum Praelatorum auctoritate, ad quos proprie pertinent collationes beneficiorum, a laicis beneficia saecularia, sive regularia nituntur obtinere*: et uti *certum* traditur in *notis ad dict. cap.* 8. *de renuntiat. tom.* 1. *tit.* 9. *pag.* 284. apud Gonzalez. Vide eumdem Gonzalez in *comment. ad cap.* 4. *de renunc. tom.* 1. *tit.* 9. *pag.* 284. Neque consensus patroni requiritur, licet renunciatio intimanda, seu denuncianda sit patrono, ut vacationis notitiam habeat, cum aliter tempus a jure concessum ad praesentandum non currat. Ratio est, quia cum nullum per hujusmodi renunciationem praejudicium inferatur patrono, Episcopus utitur jure suo in ea admittenda, ut optime animadvertit Molinaeus (*a*), et laudatus de Roye (*b*), quicquid veteres interpretes dixerint apud Rochum de Curte, et Felinum citatos ab eodem de Roye (*c*).

FINIS SECUNDAE PARTIS.

IN-

(a) *Phil. dec. cons.* 224., *et ad reg. de infirm. resign. n* 332.
(b) *In prolegom. ad tit. de jurep. cap.* 32.
(c) *Loc. cit. in princ.*

INDEX GENERALIS

SECUNDAE PARTIS

Litterae Cap. indicant Caput; littera p. indicat paginam.

A

Activa praesentatione facta per procuratorem; an altera fieri possit per principalem. *Cap.* 22. *pag.* 263.

Activa in praesentatione num qualitas clericatus, vel alia requisita, sive a fundatore, sive a jure praescripta, requirantur *actu*, aut *habitu*; nempe num sufficiat, ut superveniant in termino concesso a jure patronis ad praesentandum: et num praesentatio fieri possit sub conditione clericatus, aut dispensationis. *Cap.* 22. *p.* 264.

Activa praesentatio an fieri possit per procuratorem patroni habentis in Regno Neapolitano aetatem octodecim annorum: aut per curatorem furiosi, si furiosus lucida habeat intervalla. *Cap.* 22. *p.* 268.

Activa praesentatio num fieri possit a Superiore monasterii, si patronus sit professus. *Cap.* 22. *ibid.*

Activa praesentatio num fieri possit a procuratore pro principali, ut patronus principalis ad beneficium instituatur: vel tantum patronus principalis possit supplicare Episcopo, ut ad beneficium instituatur. *Cap.* 22. *p.* 269.

Acti-

Activa praesentatio num admittenda sit, si praesentatus non sit manifeste inhabilis, et inidoneus, etiam in beneficio Curato, seu Parochiali. *Cap.* 22. *p.* 169., *et seqq.*

Activa praesentatio facta pro laico quid requirat jure Concordati: et quid, si pro clerico facta sit. *Cap.* 22. *p.* 172.

Activa in praesentatione an sint necessaria edicta pro patronis incertis, seu pro quibuscumque interesse habentibus: et an Ordinarius possit in edicto limitare, aut prorogare terminum a jure patronis concessum ad praesentandum: et an citandi sint patroni certi. *Cap.* 22. *p* 173, *et seq.*

Activa praesentatione non facta tempore a jure praescripto, num devolvatur collatio ad Episcopum. *Cap.* 22. *p.* 176.

Activa praesentatio intra quem terminum fieri possit in jurepatronatus laico, vel ecclesiastico: et num Ordinarius possit illum limitare, si unus patronus praesentaverit. *Cap.* 22. *p.* 272., *et seq.*

Activum juspatronatus quando institutum dicatur *jure collegii*, quando *jure singulari*: et quomodo in una, aut altera specie praesentatio facienda sit: et num vocandi sint absentes. *Cap.* 22. *p.* 255. *et seqq.*

Activa praesentatio a quo, et quomodo facienda sit, si patronus sit pupillus, minor, aut collegium, seu communitas. *Cap.* 22. *p.* 256. *et seq.* 267. *et seq.*

Activa praesentatio an fieri possit per procuratorem: quando facta dicatur a majori parte patronorum: et qua forma fieri debeat a patrono absente. *Cap.* 22. *p.* 261., *et seqq.*

Arctatus an praesentari possit in statu laico : et quo tempore ex praescripto Concordati assumere debeat clericatum. *Cap.* 22. *p.* 265.

Arctatus quando quis dicatur ad beneficium tum de jure quoad institutionem, tum ex declaratione Tribunalis Mixti quoad ordinum susceptionem. *Cap.* 23. *p.* 295., *et seq.*

B

Beneficii erectioni num sufficiat assensus Vicarii generalis Episcopi : et quando concessa praesumatur Vicario specialis facultas ab Episcopo. *Cap.* 2. *p.* 25.

Beneficii de jurepatronatus dimissio, seu renunciatio, a quo, coram quo, et quomodo fieri possit. *Cap.* 26. *p.* 311.

C

Clericatus qualitas. *V. Activa in praesentatione.*

D

Dignitatum primarum in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis erectioni num Episcopi assensus sufficiat. *Cap.* 2. *p.* 25.

E

Edicta an sufficiant, si patroni sint certi. *V. Activa in praesentatione.*

Fa-

F

Familiare, seu agnatitium juspatronatus quando complectatur familiam *in genere*, quando *in specie* : et quando transire possit ad extraneos : an detur potius jus accrescendi, ita ut extincto uno familiae ramo, jus consolidetur in altero. *Cap.* 18. *p.* 232.

Familiare juspatronatus utrum complectatur foeminas tantum de familia in defectum masculorum: an etiam heredes extraneos in defectum foeminarum de familia. *Cap.* 18. *p.* 234.

Familiare censetur juspatronatus, si fuerint vocati descendentes per lineam masculinam: et num deferatur ad descendentes ex foeminis lineae masculinae, etiam sanctimoniales, vel facta renunciatione omnibus bonis. *Cap.* 17. *p.* 199.

Familiare juspatronatus fundatum pro descendentibus familiae proximioribus utrum aeque, ac fideicommissum, deferatur ad proximiores fundatori, seu gravanti : an ad proximiores ultimo defuncto, seu gravato. *Cap.* 17. *p.* 200. *et seq.*

Familiare juspatronatus num censeatur agnatitium, si vocata fuerit *domus*, *familia*, *casata*, aut fuerint vocati *illi de domo*, *cippo*, vel *casata*, saltem ex consuetudine Italiae. *Cap.* 18. *p.* 229. *et seq.*

Feudale quando dicatur juspatronatus. *Cap.* 13. *p.* 146.

Feudale juspatronatus, refutato feudo, an transeat ad refutatarium. *Cap.* 10. *p.* 140.

Feudi refutatio an fieri possit sine assensu. *Cap.* 3. *p.* 47.

Fi-

Filiatio quomodo probetur. *Cap.*17. *p.* 226., *et seq.*
Fundatores eccleſiarum ad quid teneantur: et quaenam ipſorum jura in eccleſia ab ipſis fundata. *Cap.* 1. *p.* 7.

G

Gentilitium juspatronatus ad quos de ſanguine deferatur: et quomodo qualitas gentilitia probetur. *Cap.* 17. *p.* 183., *et seq.*
Gentilitium juspatronatus utrum deferatur ad deſcendentes per maſculos tantum: an etiam per foeminas, ſeu ad omnes de ſanguine quocumque modo deſcendentes. *Cap.* 17. *p.* 187.
Gentilitium num dicatur juspatronatus, ſi fuerint vocati *heredes, et ſucceſſores*: et num deferatur ad deſcendentes de familia alicujus loci peculiaris, ſi in fundatione fuerit reſervatum deſcendentibus de familia alicujus civitatis, aut oppidi. *Cap.* 17. *p.* 188.
Gentilitium juspatronatus an probari poſſit poſſeſſione centenaria, inſtrumentis, ſcripturis, vel libris antiquis, auctoritate hiſtoricorum, vel teſtibus de auditu, ſive aliis probationibus levioribus. *Cap.* 17. *p.* 189., *et seq.*
Gentilitium juspatronatus an probari poſſit fide baptiſmatis, ſaltem exiſtentibus aliis adminiculis. *Cap.* 17. *p.* 192.
Gentilitium juspatronatus quoad modum ſuccedendi num deferatur *in capita*, et ſine ſexus, aut gradus diſtinctione. *Cap.* 17. *p.* 194.
Gentilitium juspatronatus, vocatis proximioribus, utrum deferatur ad omnes *in capita*, an ad proximiores tantum, ita ut proximiores foeminae ex-

excludant remotiores masculos. *Cap.* 17. *p.* 195., *et seq.*

Gentilitium juspatronatus utrum sub verbo *masculorum* complectatur masculos ex masculis, an masculos etiam ex foeminis. *Cap.* 17. *p.* 196.

Gentilitium juspatronatus an deferatur ad masculos ex foeminis, si fuerit vocatus filius primogenitus, et in ejus defectum filia primogenita. *Cap.* 17. *p.* 197.

Gentilitium juspatronatus, vocatis filiis fratris a fundatore, cum ipse non habeat filios suos, an deferatur ad filios sororis: et num vocatis a fundatore filiis, censeantur vocati nepotes. *Cap.* 17. *p.* 198.

Gentilitium juspatronatus an deferatur ad descendentes illegitimos, aut legitimatos: et quinam dicantur illegitimi naturales, aut ad hunc effectum legitimati, aut spurii, vel sacrilegi: et num naturales sint filii nati ex viro conjugato, et muliere matrimonio soluta. *Cap.* 17. *p.* 208. *ad p.* 225.

Gentilitium juspatronatus quoad probationem filiationis an admittat praesumtiones, et conjecturas. *Cap.* 17. *p.* 226.

Gentilitium juspatronatus an deferatur ad descendentes Regulares, aut ad monasterium, in quo ipsi professi sunt. *Cap.* 17. *p.* 228.

Gentilitium juspatronatus quoad modum succedendi an regulam recipiat a successione feudali, fideicommissaria, vel emphyteutica. *Cap.* 17. *p.* 229.

Gratificatio in paritate vocum cui de jure debeatur. *Cap.* 22. *p.* 277., *et seqq.*

H

Hereditarium quando dicatur juspatronatus : ad quos heredes transeat jure Regni Neapolitani , aut municipali Civitatis Neapolitanae : et quando adita dicatur hereditas, ut heredes succedere possint in juspatronatus. *Cap.* 15. *p.* 147. *et seq.*
Hereditarium juspatronatus an transeat ad filium, si repudiaverit hereditatem , aut ab hereditate se abstinuerit. *Cap.* 15. *p.* 151.
Hereditarium juspatronatus utrum ad heredes deferatur *in stirpes* , an *in capita* : et num deferatur ad masculos, exclusis foeminis. *Cap.* 15. *p.* 154.
Hereditarium juspatronatus quomodo de jure deferatur : et quomodo in praesentatione fiat vocum computatio. *Cap.* 15. *p.* 158. *ad p.* 163.
Hereditarium juspatronatus utrum *aequaliter* deferatur ad heredes , an *inaequaliter* pro quota parte , seu *rata* , ut vulgo dicunt , hereditatis. *Cap.* 15. *p.* 163., *et seqq.*
Hereditarium juspatronatus quoad exercitium utrum deferatur ad patronos pro majore parte vocum , an pro voce pinguiore , nempe pro quota majori hereditatis : et num in voce pinguiore praeferendus sit praesentatus consanguineus. *Cap.* 15. *p.* 166., *et seqq.*
Hereditarii jurispatronatus exercitium inter heredes primos institutos utrum fiat *in capita*, an *in stirpes*. *Cap.* 15. *p.* 169.
Hereditarium juspatronatus an transeat ad heredes in usufructu : aut ad heredes particulares, vel legatarios. *Cap.* 15. *p.* 147., *et seq.*
Hereditarium juspatronatus in hereditate per

mo

modum fideicommissi relicta utrum transeat ad heredem fideicommissarium, an ad heredem fiduciarium. *Cap.* 15. *p.* 152.

Hereditarium in dubio an praesumatur juspatronatus fundatum sive ante, sine post Clementinam *plures, de jurepatron. Cap.* 15. *p.* 154.

Hereditarium juspatronatus an fieri possit gentilitium patronorum consensu sive expresso, sive tacito per observantiam. *Cap.* 15. *p.* 175.

Honores patronis, vel benefactoribus debiti ab ecclesia. *Cap.* 25. *p.* 304., *et seqq.*

Honor alimentorum quibus patronis debeatur, et quomodo. *Cap.* 25. *p.* 306. *et seq.*

I

Immemorabilis possessio cum rigorosa probatione a S. Conc. Tridentino praescripta quoad juspatronatus potentium in Regno Neapolitano non obtinet. *Cap.* 2. *p.* 37.

Institutio num concedi possit a Metropolitano in gradu appellationis: an a Judice delegato. *Cap.* 24. *p.* 297.

Institutio, pendente judicio *petitorio* quoad pertinentiam jurispatronatus num in *possessorio* debeatur praesentato a patrono in quasipossessione praesentandi existente: et quinam de jure dicantur esse in quasipossessione praesentandi. *Cap.* 24. *p.* 199.

Institutionis sententia. *Cap.* 24. *p.* 300.

Jura fundatorum in ecclesia ab ipsis fundata *V. Fundatores ecclesiarum.*

Jurispatronatus definitio, ejusdemque vocis origo, *Cap.* 1. *p.* 1.

Ju-

Juris praesentandi origo. *Cap.* 1. *p.* 2.
Juspatronatus quibus modis acquiritur. *Cap.* 2. *p.* 9., *et seqq.*
Juspatronatus acquiri num possit sola dotatione: et quando. *Cap.* 2. *p.* 16., *et seq.*
Jurispatronatus acquisitioni quaenam dotatio sufficiat: et num sufficiat simplex *ditatio*. *Cap.* 2. *p.* 20.
Jurispatronatus acquisitioni num sufficiat redotatio, aut dotis augmentum, quomodo, et quando. *Cap.* 2. *p.* 21., *et seq.*
Jurispatronatus acquisitioni num sufficiat praescriptio; qualis praescriptio sufficiat: et quomodo probanda sit. *Cap.* 2. *p.* 26., *et seqq.*
Juspatronatus, fundatione non existente, quomodo probari possit. *Cap.* 2. *p.* 27.
Juspatronatus feudale. *V. Feudale.*
Juspatronatus familiare. *V. Familiare.*
Juspatronatus gentilitium. *V. Gentilitium.*
Juspatronatus hereditarium. *V. Hereditarium.*
Juspatronatus lineale. *V. Lineale.*
Juspatronatus mixtum. *V. Mixtum.*
Juspatronatus privatum. *V. Privatum.*
Juspatronatus regium. *V. Regium.*
Jurispatronatus quasipossessio. *V. Quasipossessio.*
Juspatronatus monachorum, vel canonicorum utrum in origine laicum fuerit, an ecclesiasticum: ac si parochiale sit, penes quem cura animarum sit. *Cap.* 2. *p.* 37., *et seq.*
Juspatronatus utrum praescribi possit a patrono contra patronum: an tantum ab extraneo contra patronum. *Cap.* 2. *p.* 41., *et seq.*
Juspatronatus passivum an praescribi possit contra passive vocatos ad beneficium. *Cap.* 2. *ibid.*

Jurispatronatus praescriptio num hodie obtineat in Regno Neapolitano. *Cap.* 2. *p.* 42.

Juspatronatus num privilegio acquiri possit: ac privilegio acquisitum quando sit perpetuum. *Cap.* 2. *p.* 42., *et seq.*

Juspatronatus an ammitti possit: et quibus causis, ac modis. *Cap.* 3. *p.* 43., *et seqq.*

Juspatronatus an amitti possit donatione: et de cujus assensu. *Cap.* 3. *p.* 45.

Juspatronatus an donari possit compatrono sine assensu. *Cap.* 3. *p.* 46.

Jurispatronatus donatio, ut perfecta sit, an indigeat acceptatione donatarii. *Cap.* 3. *p.* 47.

Jurispatronatus donationi an sufficiat assensus subsequens, aut praesumtus per lapsum triginta annorum. *Cap.* 3. *p.* 48.

Juris praesentandi donatio, seu donatio juris *cumulativa*, non *abdicativa*, an indigeat assensu. *Cap.* 3. *ibid.*

Jurispatronatus donatio quando dicatur *abdicativa*, ita ut patronus donator nullum jus in jurepatronatus sibi retineat. *Cap.* 3. *p.* 49.

Jurispatronatus donatio quando facta dicatur *causa mortis*, aut *irrevocabiliter inter vivos*. *Cap.* 3. *p.* 51.

Jurispatronatus donatio num fieri possit, si juspatronatus sit gentilitium, familiare, seu agnatitium, aut mixtum. *Cap.* 3. *p.* 51., *et seq.*

Juspatronatus hereditarium donatum compatrono, qui suam partem jurispatronatus habet cum qualitate gentilitia, num fiat in compatrono etiam gentilitium. *Cap.* 3. *p.* 54.

Jurispatronatus amissio num fieri possit ex causis lucrativis, cum patronus in alium juspatronatus

tus

tus ex causa legati aut fideicommissi sive cum assensu, sive sine assensu. *Cap.* 3. *p.* 55.

Juspatronatus an amitti possit ex causis onerosis, puta ex causa venditionis; et quando. *Cap.* 3. *p.* 56., *et seq.*

Juspatronatus an transferri possit ex causa locationis, vel pignoris. *Cap.* 3. *p.* 59.

Juspatronatus transferri num possit sequestro, vel adjudicatione rei, cui juspatronatus sit adnexum, facta creditori ob suum creditum: aut venditione cum pacto redimendi: aut datione in solutum facta a viro uxori pro satisfactione dotis: aut denique confiscatione ob delictum. *Cap.* 3. *p.* 61., *et seq.*

Juspatronatus quoad exercitium an spectet ad usufructuarium. *Cap.* 3. *p.* 63.

Juspatronatus an transferri possit permutatione, aut transactione: et quaenam ad hunc effectum dicatur transactio. *Cap.* 3. *p.* 65., *et seq.*

Jurispatronatus transactio quando licita sit: et quando, et quomodo in transactione admittatur pensionis solutio. *Cap.* 3. *p.* 67., *et seq.*

Jurispatronatus jura diversa pro diversa jurispatronatus specie. *Cap.* 6. *p.* 106.

Juspatronatus quando dicatur ecclesiasticum. *Cap.* 7. *p.* 107., *et seqq.*

Juspatronatus reservatum confraternitati, seu congregationi an dicatur ecclesiasticum. *Cap.* 7. *p.* 112.

Jurispatronatus differentia quoad praesentationem pro diversa praesentantium persona ecclesiastica, aut laica. *Cap.* 7. *p.* 114.

Jurispatronatus ecclesiastici, et laici differentia quoad terminum a jure praescriptum praesen-

tationi: et quoad variationem praesentationis, seu cumulativam praesentationem. *Cap*. 7. *p*. 116.

Jurispatronatus ecclesiastici, aut laici differentia an admittat devolutionem collationis beneficii ad Episcopum ob patronorum negligentiam, si tempore a jure præfinito non præsentaverint. *Cap*. 7. *p*. 117.

Juspatronatus ecclesiasticum, aut laicum an admittat praesentationem idonei post praesentationem inidonei scienter factam: et quando praesumitur ignorantia inidoneitatis. *Cap*. 7. *p*. 119.

Juspatronatus quoad exercitium an amittatur per praesentationem indigni, vel inhabilis: et quando praesentatus talis dicatur, *Cap*. 7. *p*. 121., *et seq*.

Juspatronatus ecclesiasticum, laicum, aut mixtum an subjaceat reservationi. *Cap*. 7. *p*. 127.

Juspatronatus laicum an admittat revocationem primae praesentationis, aut potius praesentationem accumulativam, durante quadrimeſtri a jure concesso patronis ad praesentandum; et num pluries *accumulative* patronus variare possit. *Cap*. 8. *p*. 129., *et seq*.

Juspatronatus laicum an dictam *accumulativam* admittat, si patronus laicus in prima nominatione sive cum juramento, sive sine juramento facta, promiserit se non variare; aut si praesentatus nondum praesentationem acceptaverit. *Cap*. 8. *p*. 130., *et seq*.

Juspatronatus, cui patronus renunciaverit, an admittat regressum ad idem juspatronatus, renunciatione non obstante. *Cap*. 10. *p*. 142.

Juspatronatus quoad exercitium utrum dividuum sit, an individuum. *Cap*. 15. *p*. 163., *et seq*.

Juspatronatus quoad exercitium an *jure accrescendi* con-

consolidetur in patronis praesentantibus ob negligentiam aliorum patronorum non praesentantium. *Cap.* 15. *p.* 171.

Juspatronatus collegii, vel universitatis, si plura sint collegia, plures universitates, utrum *in capita*, an *in stirpes* deferatur. *Cap.* 15. *p.* 174.

L

Lineale juspatronatus num transire possit ab una linea ad alteram, evacuata prima linea per extinctionem foeminarum de linea. *Cap.* 17. *p.* 204.

Lineale juspatronatus, sive agnatitium, sive gentilitium, sive mixtum inter plures lineas divisum num extincta aliqua linea fiat hereditarium in linea extincta, existente qualitate agnatitia, gentilitia, vel mixta in alia linea non extincta. *Cap.* 17. *p.* 206.

Lineale juspatronatus quando fundatum dicatur *collective*, quando *discretive*, ita ut quaeque linea sine *jure accrescendi* habeat suum separatum juspatronatus: et, extincta linea masculorum, transeat in foeminas ejusdem linae, licet fuerint vocati masculi cum substitutione reciproca. *Cap.* 20. *p.* 241.

Lineale juspatronatus utrum in qualibet linea, altera separata ab altera, in *stirpes* deferatur, an in *capita*. *Cap.* 20. *p.* 242.

Lineale juspatronatus an admittat *suffocationem*, adeo ut vox unius lineae *suffocata* remaneat ab altera voce majore ejusdem lineae ob numerum majorem praesentantium ejusdem lineae. *Cap.* 20. *p.* 243.

Lineale juspatronatus an deferatur *gradatim*, ac cum

cum praelatione proximioris remotiori in qualibet linea. *Cap.* 20. *p.* 244.

Linea in jurepatronatus lineali an vincat gradum, sexum, et aetatem patronorum alterius lineae. *Cap.* 21. *p.* 250.

M

Mansiorarius quinam erat olim: et quodnam munus ejus.. *Cap.* 1. *p.* 6.

Mixtum juspatronatus quid sit: et divisum per *turnum*, et *alterativam*, quando laicum censeatur, quando ecclesiasticum. *Cap.* 9. *p.* 134.

Mixtum juspatronatus utrum induat conditiones favorabiles, et possit patronus alterum praesentare post alteram praesentationem factam indigni, aut inhabilis. *Cap.* 9. *p.* 135.

Mixtum juspatronatus utrum quoad exercitium *aequaliter*, an *inaequaliter* inter patronos dividatur. *Cap.* 9. *p.* 137.

Mixtum quando dicatur juspatronatus ex gentilitio et hereditario: et quaenam ejus natura. *Cap.* 19. *p.* 235.

Mixtum juspatronatus utrum requirat qualitatem hereditariam *in actu*, vel *in habitu*, seu *in potentia*: et quomodo patroni succedant in hujusmodi jurepatronatus. *Cap.* 19. *p.* 236.

Mixtum juspatronatus utrum excludat foeminas, existentibus masculis, praesertim in Regno Neapolitano. *Cap.* 19. *p.* 238.

Mixtum juspatronatus quando dicatur lineale. *Cap.* 19. *p.* 239.

Mixtum juspatronatus quando complectatur descendentes, licet non heredes. *Cap.* 19. *p.* 240.

Na-

N.

Natura, seu qualitas jurispatronatus unde desumatur. *Cap.* 5. *p.* 94.

Natura jurispatronatus utrum admittat conditiones juri contrarias: et utrum conditiones illicitae vitient fundationem, an ipsae vitientur, etiam appositae in actis inter vivos. *Cap.* 5. *p.* 95.

Natura jurispatronatus utrum admittat conditionem, ut beneficium vacare possit, donec existat clericus de familia. *Cap.* 5. *p.* 96., *et seq.*

Natura jurispatronatus utrum extra limen fundationis, et post assensum Ordinarii admittere possit conditiones juri contrarias. *Cap.* 5. *p.* 103.

Natura jurispatronatus utrum mutari possit contraria observantia patronorum, vel contraria voluntate fundatoris. *Cap.* 5. *p.* 104.

O

Ordinarius quoad institutionem. *V. Institutio*:

P

Passivum quando dicatur juspatronatus: et num passive vocatus postulare possit, ut sibi concedatur institutio, etiamſi non ſit praesentatus a patronis. *Cap.* 23. *p.* 288., *et seq.*

Passivum juspatronatus fundatum pro familia, seu agnatione, num in defectum agnatorum complectatur cognatos ex praesumta mente fundatoris. *Cap.* 23. *p.* 290.

Passivum juspatronatus fundatum pro familia, seu

agnatione, an interpretationem admittat pro cognatis. *Cap.* 23. *p.* 291.

Passivum juspatronatus an in dubio recipiat interpretationem ab activo, et activum a passivo. *Cap.* 23. *p.* 292.

Passivum juspatronatus fundatum sive pro consanguineis, sive pro extraneis, verbis deprecativis, ac verbis sive directis, sive obliquis, num inducat praeceptum, seu necessitatem pro passive vocatis. *Cap.* 23. *p.* 293., *et seqq.*

Patronus habens juspatronatus activum tantum an possit, nulla existente aliorum patronorum praesentatione, per se, vel per procuratorem supplicare, ut sibi beneficium conferatur. *Cap.* 23. *p.* 291.

a Patrono num vendi possit usus rei materialis, puta pavimenti ad extruendam sepulturam, parietem ad extruendam Capellam. *Cap.* 3. *p.* 65.

Personale juspatronatus quid sit: et ad quos pertineat. *Cap.* 11. *p.* 144.

Praesentatus a parte majore patronorum in quolibet stipite, aut linea, num instituendus sit, *suffocata* voce minoris partis ejusdem stipitis, vel lineae. *Cap.* 15. *p.* 157. *ad p.* 170.

Primogenitale juspatronatus, seu juspatronatus fundatum ad formam primogeniturae, et majoratus, quale sit: et quomodo deferatur. *Cap.* 21. *p.* 246.

Primogenitale juspatronatus quando transeat ad primogenitum alterius lineae, extincta linea alterius primogeniti. *Cap.* 21. *p.* 249.

Primogenitale juspatronatus an excludat masculos alterius lineae ob defectum masculorum in altera linea, et potius deferatur ad foeminam ejus-

ejusdem lineae , ita ut linea vincat gradum , sexum , ac aetatem in altera linea . *Cap.* 21. *p.* 250.

Primogenitus quis dicatur, si duo fratres nati sint unico partu. *Cap.* 21. *p.* 252.

Privatum quando dicatur juspatronatus . *Cap.* 14. *p.* 146.

Q

Quasipossessio jurispatronatus an amittatur lite pendente super judicio petitorio : et an amittatur beneficium obtentum ab instituto lite pendente super pertinentia jurispatronatus. *Cap.* 4. *p.* 74.

Quasipossessio praesentandi lite pendente super judicio petitorio an admittenda sit in beneficio Parochiali. *Cap.* 4. *p.* 75.

Quasipossessio jurispatronatus quomodo acquiratur : et quot conditiones ad dictam quasipossessionem acquirendam de jure requirantur. *Cap.* 4. *p.* 76., *et seqq.*

Quasipossessio jurispatronatus quomodo probetur. *Cap.* 4. *p.* 81., *et seq.*

Quasipossessio jurispatronatus num amittatur re judicata. *Cap.* 4. *p.* 86.

Quasipossessione jurispatronatus probata , et non probata jurispatronatus amissione , num quasipossessori manutentio debeatur. *Cap.* 4. *p.*86., *et seqq.*

Quasipossessio jurispatronatus an transeat ad heredes quasipossessoris : et in jurepatronatus gentilitio ad descendentes : et ad successores rei , cui est adnexum juspatronatus , in jurepatronatus reali. *Cap.* 4. *p.* 89.

Rea-

R

Reale quando dicatur juspatronatus : et quaenam ejus natura . *Cap.* 10. *p.* 138.

Reale juspatronatus , si ad monasterium , aut capitulum transeat , utrum laicum remaneat , an fiat ecclesiasticum . *Cap.* 10. *p.* 138. , *et seq.*

Reale juspatronatus utrum transeat ad heredes ; an ad possessores rei , cui juspatronatus inhaeret . *Cap.* 10. *p.* 139.

Reale juspatronatus utrum *aequaliter* , an *inaequaliter* transeat in successores . *Cap.* 10. *p.* 141.

Reale juspatronatns quomodo probetur . *Cap.* 10. *p.* 142.

Regium quomodo dicatur juspatronatus : quaenam ejus natura : et quaenam beneficia Regiae nominationis ecclesiastica institutione non egeant. *Cap.* 12. *p.* 145.

S

Suffocatio vocis in jurepatronatus . *V. Praesentatus* .

T

Tuitio ecclesiae penes quos olim erat . *Cap.* 1. *p.* 4. , *et seq.*

Turnus , seu alternativa an obtineat in jurepatronatus sive hereditario , sive gentilitio : et quae differentia inter unum , et alterum turnum . *Cap.* 16. *p.* 176.

Turnus ob justam causam vitandi discordias num decerni

cerni possit a judice, et judex cogere possit sive patronos ad dividendum exercitium, sive Parochos ad dividendum exercitium jurium Parochialium, sive Episcopos ad dividendum exercitium jurium Episcopalium in ecclesia communi per turnum. *Cap.* 16. *p.* 178., *et seq.*

Turnaria divisio num fieri possit *inaequaliter* inter patronos. *Cap.* 16. *p.* 179.

Turnus quando dicatur consumtus in jurepatronatus sive activo, sive passivo. *Cap.* 16. *ibid.*

Turnaria divisio inter patronos an ad ejus perfectionem indigeat assensu Ordinarii. *Cap.* 16. *p.* 181., *et seq.*

Turnus num afficiat successores jure proprio venientes in juspatronatus sive activum, sive passivum. *Cap.* 16. *p.* 183.

V

Vicedomini quinam olim erant: et quinam *Castaldi*, aut *Guastaldi*, *Custodiam habentes*, vel *Advocati*: et quodnam ipsorum munus in ecclesia. *Cap.* 1. *p.* 4.

Visitari ab Episcopo quaenam ecclesiae possint: *Cap.* 1. *p.* 7.

FINIS.

Pag.	v.	ERRATA.	CORRIGE.
14.	v. 20.	dotavit	ditavit
16.	v. 10.	si bi	sibi
18.	v. 16.	datem	dotem
21.	v. 13.	sit	sit redacta
24.	v. 11.	sit	si
45.	v. 27.	tacitns	tacitus
70.	v. 20.	quicqufd	quicquid
84.	v. 14.	*qnaestio*	*quaestio*
92.	v. 13.	*Mai*	*Maii*
96.	v. 24.	*de beneficlor.*	*beneficior.*
97.	v. 14.	*temporc*	*tempore*
98.	v. 16.	*faeminina*	*foeminina*
100.	v. 9.	ejnsdem	ejusdem
102.	v. 13.	Pitonius	Pitonium
104.	v. 2.	eccclesiae	eccleſiae
105.	v. 2.	interpretatur	interpretetur
112.	v. 25.	*Canonieatus*	*Canonicatus*
115.	v. 18	*cap.* 22.	*cap.* 2.
138.	v. 23.	Lodovicus	Ludovicus
139.	v. 13.	hine	hinc
153.	v. 11.	Fargna	Fargnae
et	v. 23.	*bneficiaria*	*beneficiaria*
164.	v. 17.	*vcrius*	*verius*
165.	v. 10.	juspatranatus	juspatronatus
177.	v. 30.	Ute-	Utrum
184.	v. 5.	Itaqne	Itaque
190.	v. 21.	*affectum*	*effectum*
203.	v. 20.	*eum*	*cum*
204.	v. 26.	tran-	trans-
et	v. 27.	sire	ire
208.	v. 12.	attenet	attinet
236.	v. 8.	impressam	impressa
254.	v. 11.	vel	an
261.	v. 5.	dicuntnr	dicuntur
et	v. 24.	patronoruw	patronorum
277.	v. 15.	debent	debet
289.	v. 19.	*quidem*	*quidam*

Admodum Rev. Dominus D. Felix Cappelli S. Th. Professor revideat, et in scriptis referat. Die 21. Octobris 1795.

PASCHALIS EPISCOPUS THIENENSIS VIC. GEN.

Joseph Archiepiscopus Nicosiensis Can. Dep.

EMINENTISSIME, AC REVERENDISSIME PRINCEPS.

SCio equidem exstitisse plerosque, quorum alii forensia, alii erudita de jure beneficiorum, et patronatus diu antea edidere volumina; nunc autem Illustrissimus Allifanae Ecclesiae Praesul, *Aemilius Gentilis*, docta itidem *de beneficiorum, et patronatus jure* specimina in adspectum hominum proferre studet. Istud sane opus, praeter illud, quod triennio jam effluxo de *Praxi Ecclesiastica* typis mandavit, Tuoque jussu a me quoque revisum, probatumque, nisi falsa me opinio teneat, majorem eidem laudem, decusque pariet; nam post tot, tantaque eorum, qui praecesserunt, virorum labores, adeo multa eruditionis plena addidit, ut de eodem Scriptore dici jus, fasque sit, quod olim Imperator Caesar JUSTINIANUS, in epistola Digestorum editioni praemissa de semet effari non dubitavit, dum inquit; *qui non subtiliter factum emendat, laudabilior est eo, qui primus invenit*. Ceterum quum nihil uspiam contra rectam fidem, morumque libellam offenderim, quid-

quid

quid ille chartis illevit, publicae usura lucis frui posse arbitror. Neapoli III. Non. Octobr. an. CIↃIↃCCXCVI.

EMINENTIAE TUAE

Dicatissimus
Felix Cappellus
E Regia Scientiar. Academia.

Attenta relatione Domini Revisoris imprimatur. Die 3. Octobris 1796.

PASCHALIS EPISCOPUS THIENENSIS VIC. GEN.

Joseph Archiepiscopus Nicosiensis Can. Dep.

Re-

Reverendiss. Dominus D. Salvator Canonicus Rogerius in hac Regia Studiorum Universitate Professor Pr. revideat autographum enunciati Operis, cui se subscribat ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum, et in scriptis referat, potissimum si quidquam in eo occurrat, quod Regiis juribus, bonisque moribus adversetur, et si merito typis mandari possit. Ac pro executione Regalium Ordinum idem Revisor cum sua relatione ad nos directe transmittat etiam autographum ad finem. Datum Neapoli die 6. mensis Septembris 1796.

Fr. Alb. Archiep. Colossen. C. M.

CELSISSIME DOMINE.

Quam de Beneficiis et Jurepatronatus plenissimam tractationem conscripsit cum dignitate, tum in primis doctrina Illustrissimus Aemilius Gentilis Episcopus Allifanus, ea quidem commendationis non eget, ut eruditorum plausibus excipiatur. Quidquid enim ex penitiori rei Canonicae atque Ecclesiasticae historiae sinu depromtum, quod hujusmodi argumento explanando illustrandoque conducere queat, desiderare quis poterit, totum id et perspicue traditum, et accurate perpensum inibi reperire datur. Et quod caput est, nihil eorum praetermittitur, quae ex praesenti florentissimi hujus Regni Tui politica, et sapientissimarum Tuarum legum imperio et praescripto in re beneficiaria servari consueverunt. Quae cum ita habeant, nihil esse reor,

quo

quo minus, Augustissime Princeps, pro Tua summa benignitate patiaris, ut hic liber prelo commissus in publicum emittatur, praesertim cum sacra Majestatis jura, et morum honestas nihil inde sibi metuant periculi. Datum Neap. IV. Kal. Octobr. MDCCXCVI.

Nomini Majestatique Tuae

Devotissimus
Salvador Can. Rogerius.

Die 20. mensis Octobris 1796.

Viso Rescripto S. R. M. sub die 15. currentis mensis, et anni, ac Relatione Can. D. Salvatoris Rogerii de commissione Rev. Regil Capellani Majoris ordine praefatae Regalis Majestatis etc.

Regalis Camera S. Clarae providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma praesentis supplicis libelli, et approbationis dicti Revisoris. Verum non publicetur, nisi per ipsum Revisorem facta iterum revisione affirmetur, quod concordat, servata forma Regalium Ordinum, ac etiam in publicatione servetur Regia Pragmatica. Hoc suum.

TARGIANI. PORCINARI. BISOGNI.

V. F. R. C.

Ill. Marc. Mazzocchi Praes. S. R. C. ac ceter. Ill. [illegible] Praeſ. tempore subscript. impediti.

Pasquale.

206-7

VA1 1530685